Accedit, quod nullae inveniuntur inscriptiones carminum in N, quae certo exstarent, si N ex fonte plane eodem ortus esset atque Urbinas titulis ornatus. Neque enim puto librarium Neapolitani, si tituli in exemplari, quod descripsit, ei occurrissent, eos omissurum fuisse. Ergo verisimile non est N et U ex eodem fonte esse derivatos. Sed quo modo illa librorum cognatio explicari potest? Duabus scilicet rationibus. Aut enim U et N ad aliquem communem fontem redeunt, qui, postquam codex N descriptus est, correctus exemplar fuit Urbinatis, aut ex N ipso aliqui codex derivatus est, quem primum alter vir correxit, tum librarius Urbinatis adhibuit. Cum multum intersit, utrum hanc an illam sententiam sequamur — si enim U nepos est, ut ita dicam, codicis N, omnino neglegi potest excepto illo loco, ubi N deficit, i. e. IV 11, 17—76 — quid ego de hac re iudicem, dicere non praetermittam. Mihi quidem Urbinas fluxisse videtur ex codice aliquo, qui non correctus pater fuit Neapolitani. Argumento autem hos locos esse censeo: In carminis II 6 vs. 26 legimus in N *cuiuis*, in F *cuius* (*quoius* D, *quovis* V), in U *cuius* (sic!). Fortasse quispiam dixerit satis dilucide ex hoc versu apparere librarium eodem tempore duobus exemplaribus usum esse, ita quidem, ut primum ex codice quodam, qui tribuendus sit

familiae A F L D V, *cuius* sumeret, tum Neapolitano, in quo legatur *cuiuis*, inspecto illud *i* super *cuius* poneret. Sed iam supra demonstrare conatus sum librarium ex uno solo exemplari carmina Propertii repetisse. Quare equidem de hoc loco ita iudicaverim: In libro, qui fons fuit et codicis N et Urbinatis — notemus illum codicem signo X — iam *cuiuis* extabat sic: $\overset{i}{\textit{cuius}}$ (fortasse a m_2 ex *cuius* correctum); et recte descripsit N *cuiuis*, Urbinatis autem librarius, sive quod non intellexit, quid illud *i* suprascriptum sibi vellet, sive quod consulto a lectionibus fontis recedere noluit, ipsum litterarum ductum secutus est:

$\overset{i}{\textit{cuius}}$ X

cuiuis N — $\overset{i}{\textit{cuius}}$ U

Affero hunc alterum versum II 34,16, ubi in N et D V legimus *admitto*, in F L *amitto*, in Urbinate invenitur $\overset{d}{\textit{amitto}}$. Num putandem est librarium primum inspexisse aliquem codicem familiae F L ex eoque *amitto* sumpsisse, tum ex N litteram *d* supplesse? At D V quoque *admitto* praebent, ita ut diiudicari non possit, unde illud *d* in Urbinatem venerit. Deinde cf. vs. II 5,10:

affuerit N F — *abfuerit* D V

$\overset{b}{\textit{affuerit}}$ U

Hoc quidem loco N facit cum F, non cum D V, ut, si duos libros librario Urbinatis praesto fuisse censemus, *affuerit* non ex codice familiae F, sed ex D V in *abfuerit* correctum esse statuendum sit. Difficile igitur est explicatu, qualis ille alter codex fuerit, qui praeter N adhibitus sit. Sed redeamus ad versum II 34,16! Fortasse illud $\overset{d}{\textit{amitto}}$, quod invenimus in U, iam in codicum N et U fonte legebatur, unde bene librarius Neapolitani descripsit *admitto;* librarius autem Urbinatis singulas litteras imitatus est et, quod vidit in exemplari, $\overset{d}{\textit{amitto}}$ ipse descripsit:

Hoc eodem modo illud a[b]ffuerit, quod supra attuli, bene explicari posse mihi videtur: In codice X primum legebatur *affuerit,* quod ex codice nondum correcto hausit N, tum ab altera manu codicis X lectio mutata est in a[b]ffuerit, librarius autem Urbinatis omnia, quae in fonte invenit, repetivit, quo factum est, ut nunc legamus in U a[b]ffuerit. Neque obstat sententiae meae versus II 8,4, ubi N praebet *lenior* (F_2 V_2), F_1 *leuior,* U *le[n]uior.* Hoc quoque loco iam in fonte codd. U et N duas lectiones fuisse puto *le[n]uior,* unde descripsit N *lenior,* U *le[n]uior.* Cf. etiam, quae in libris III et IV exstant,

III 7,33.	*q[a]uem*	(*quam* ex *quem* corr. F)
47.	*h[i]ęc*	*haec* N *hunc* DV *hoc* F
10, 4.	*[ter]tum*	*ter* O
13,23.	*hic,* ubi littera in fonte codicis suprascripta neglegentia librarii omissa, punctum tamen sub *i* positum est,	
16,14.	*[a]deo*	*deo* O
21.	*f[l]lumine* U	*fulmine* N (ex corr. cod. X) *flumine* O
21, 7.	*a[d]mittit* U	*amittit* N F_1 *admittit* O
23,20.	*d[u]iras* U	*diras* N F_2 *duras* O
IV 1,106.	*umbra [nec]nęque* U	*Umbrane quę* N *umbraque ne* O
4,24.	*d[u]ixit* U	*dixit* O
6,11.	*refer[a]emus* U	*referemus* O *referamus* V
11,14.	*legat[u]ur* U	*legatur* O

Verisimillimum igitur mihi esse videtur Urbinatem non ex codice aliquo, qui ipse derivatus erat ex N, postea correcto dependere, sed fuisse aliquando codicem quendam arbitror, qui, postquam fons fuit Neapolitani, correctus, tum a librario Urbinatis descriptus est. Certis autem argumentis haec sententia confirmari nequit, praesertim cum non semper satis dilucide cognoscere possimus, quae litterae suprascriptae vel suppunctae sint a manu priore, quae a recentiore. Quare iam ea, quae non ita magni momenti sunt, mittamus aliamque ad rem accedamus! Quaerendum enim nobis est, si Urbinatem ex codice quo, qui ipse correctoris manum vel correctorum manus passus erat, derivatum esse contendimus, unde eae, quae dissentiunt a N, lectiones sumptae sint. Inspiciamus has tabulas (IV).

Liber I.

U	N
XIII 13. *augure* A D V	*augere* F N_1
XV 7. *eois* D V	*et chois* N *h̄* (= *haec) chois* A *ḥẹç ehoys* F

Liber II.

I 31. *tractus* D V	*attractus* A N *atractactus* F	
VII 9. *lumina* F	*limina* D V	
12. *Ad Cynthiam* D V	om. F	
XIV 16. *conditio* U *condicio* DV	*condito* F	
XV 14. *menelaeo* D V	*menelao* F	
XVI 12. *illa* D V	*una* F	
39. *nunc* U_1 V	*hunc* F D	
XXII 44. *quod* F	*quid* D V	
50. *quem qu(a)e* F L V_2	*quae quoque* D V_1	Nom.
plura F_2 D V	*fata* F_1 L	Nom.
XXIII 1. *cui* F L (quoi V_2 mg)	*qui* D V	
XXIV 25. *pugnat* F L	*pugnet* D V	
41. *periisse* D V	*peperisse* N_1 F L *(perisse* N_2)	
XXVI 21. *oris* L D V	*horis* F	

(U)	(N)
XXVI 53. *capiti* L D V F_2 mg.	*caput* F_1
XXIX 4. *hos* D V F_2	*hoc* F_1 L
XXXII 8. *tibi me* D V	*time* N *timeo* F

Liber III.

(U)	(N)
II 4. *in muri* D V	*in numeri* N L *īmineri* F
III. *Somnium Propertii* L D V	*Tertium somnium Propertii* F, om. N
V 35. *plaustra boones* U_1 *plaustra bootes* D V	*flamma boon* N *flamma palustra* F L
VI 30. *uicta* F	*uitta* D V *uita* N L
39. *consimili* F L	*consuli* N *cum simili* D V
X 27. *tactu* F L	*iactu* D V
Post XI 38 nova elegia incipit in U F L *De cleopatra*	adhaeret prioribus in N D V
63. *Coclitis* L D V F_2 mg	*Colclitis* N *Collitis* F_1
abscissos D V	*ab(s)cisos* F L *adscisos* N
XIII. *De avaritia et luxu matronarum* F L	*De avaritia et luxuria m.* D V, om. N.
XV 38. *Vinxerunt* L D V	*Vixerunt* N *Vincerunt* F
XVIII 5. *dextra* (L_1?) D V	*dexter* F
XXIV 10. *Eluere* D V F_2	*Fluere* F_1 L
14. *Vinctus* L D V	*victus* F

Permultis locis Urbinas cum uno vel compluribus vel omnibus familiae (A) F (L) D V codicibus contra N facit, ita quidem, ut, si neglegimus, quae et ille et ceteri libri excepto N praebent — raro enim N solus ab Urbinate dissentit, — multo saepius sive cum D V sive cum V solo stet contra F quam cum F contra classem DV, quod bene intellegi potest ex tabulis supra propositis. Nam viginti fere locis F praebet lectiones, quae non leguntur in Urbinate, sed in N, decies fere Urbinatis lectiones a lectionibus codicum D V vel V solius differunt. Quae cum ita sint, verisimile esse mihi videtur eum codicem, quo usus est, qui Neapolitani et Urbinatis fontem correxit,

similiorem fuisse libris D V quam Laurentiano. Sed demonstrari haec res non potest, praesertim cum eius familiae, cuius unum exemplum est F, alter testis A desinat in II 1,63, codex L autem, qui inde a II 21,3 incipit, aliis locis cum D V, aliis cum N conspiret contra F.

Caput III. De correcturis Urbinatis a m_1 factis.

Postquam, quo modo Urbinatem ortum esse mihi persuasum sit, explicavi, de correcturis, quae in eo inveniuntur, disputabo. Librarius enim, qui codicem ex illo fonte, de quo supra egi, descripsit, inter exarandum nonnulla verba, quae non recte imitatus erat, ipse corrigebat, velut in II 9,17 *naụtis* U *natis* O, 10,7 *ve*$\underset{.}{\overset{n}{t}}$*eṛes* U *veneres* O. Aliis locis, velut in II 30,9 *semelā́*, litteras suprascriptas a librario non corrigendi causa, sed quod iam in exemplari, quo ille usus est, exstabant, additas esse demonstrare conatus sum. Aliis dubium esse mihi videtur, utrum, quae praebet Urbinas, ex fonte eius sumpta an a librario ipso addita vel deleta sint. Cf.

II 14, 5 *electra* N D V (*eletra* F) *electr*$\underset{.}{\overset{e}{a}}$ U, et
II 3,24 *ardidus* N F *aridus* D V
arḍidus U

Caput IV. De manu altera, quae in U versata est.

Praeter correcturas a m_1 factas codicem Urbinatem alteram manum corrigentem passum esse et ex litterarum ductu diverso a ratione scribendi, quam auctor ipse adhibuit, et ex eo, quod nonnullis locis alius perspicitur color atramenti, cognosci potest. Atque illud ex imaginibus codicis photographice depictis intellexi, hoc ex collatione ab Hosio instituta comperi. Sed ne hic quidem a nobis semper satis clare diiudicari potest, ab utra manu correctiones additae sint, utrum a priore an a recentiore. Quare fortasse una vel altera

lectio, cuius auctorem illum virum fuisse contendo, cui manum alteram, quae dicitur, tribuimus, iam in U_1 exstabat, quae a manu priore scripta esse existimo, partim ad m_2 originem suam referunt. Mihi quidem, ut iam pergamus in quaestione habenda, praeter eas mutationes, quae solam ad rem orthographicam pertinent[1]), a manu altera (U_2) exarata esse videntur, quae exstant in tabulis his:

Tab. V.

Liber I.

II 13. *persuadent* U (2)	*persuadent* O *persudant* V_2
25. *ne* ex *nec* U_2	*ne* O
III 30. *congeret* U (2)	*cogeret* N F_2 V_2 (*cogerit* A F_1 D V_1)
36. *e* ex *c* U_2	*e* O
IV 22. *deferet* (ex *differet*) U_2 *deferet* D V	*differet* N F_2 *differt* A F *diferet* V_2
V 8. (*tibi* in textu) *mihi* m_2 mg	*tibi* O
9. (*ruis* in textu) *tuis* m_2 mg N_2 V_2	*ruis* N_1 A F D V_1
(*nostris* in textu) *uotis* m_2 mg N_2	*nostris* N_1 A F D V
15. (*horror* in textu) *humor* m_2 mg	*horror* O
31. *desine* om. m_1, add. m_2	
VIII 17. *moereris* (*oe* ex *o*) m_2 *mereris* O	*moreris* N_1
45. *subducet* (*e* ex *i* m_2) F_2	*subducit* O
IX 11. *numerini* (ex *inermi*) m_2 *numerini* D V	*minermi* N *munermi* A *minerinus* F
31. *possunt* (*u* ex *i* m_2) D V	*possint* N A F
15. *amoto* (*o* alt. ex *a*) U_2 D V	*amota* N A F
XIX 17. *longe* b(2) *te* a(2) U *te longe* F D V	*longe te* N A
XX 21. *placidis* (*s* ex *t* m_2) O	
42. *imaginibus* (ex *unguinibus*) U_2 *imaginibus* N F D V	*unguibus* A

1) cf. collationem inde a pag. 8 sqq. prolatam.

Liber II.

I 31. ^{e}*gyptum (g* ex *c)* U_2 *giptum* F_2	*cypt.* N A *cipt.* F_1 *cyprum* D V
50. *probat (t* a m_2) U O	
76. *esseda (a* ex *i* m_2) U O	
V 26. *circumiere (m* ex *n)* U_2 N	*circuiere* F D V
VII 18. *borystonidas (o* alt. ex *e)* U_2	*-ten.* O
VIII 15. l(2) *anusque* U *an usque* D V *ire* (ex *ne* vel *ue)* U_2	*anusque* N *auusque* F *ne* vel *ue* O
XIV 28. *amans (an* ex *ni)* U_2 O	
XVI 39. *Hunc (H* ex *N)* U_2 N F D	*Nunc* V
XIX 16. *externo (er* in ras. a m_2) U O	
25. *clitūnṭus* (-et · a m_2) U *clitumnus* F_1 D V	*clituntus* N
XX 12. *trās = iliamque* U *(tr* ex *st,* -et = a m_2) *transiliamque* V_2 mg	*stas iliamque* F D *stas-iliamque* N V_1
16. *uternque (er* in ras. m_2) U	*uterque* O
34. *quae* (*ae* ex *a* m_2) U O	
XXIII 8. *scribas* (*s* alt. ex *t* m_2) UFDV	*scribat* N L
21. i(2) *m/misit* U	*mihi misit* O
XXIV 36. *eheu* (*e* pr. a m_2) UNFL	*heu heu* DV (F mg *vel* ‚*heu*')
XXV 40. *nostra* (*no* ex *ue* m_2) UNFL	*uestra* D V
42. *dulcis* (ex *ducit*) U_2 F D V	*ducit* N *lucus* L
XXVI 39. *rudis* U_2 mg F_2 mg vss. 57/58 om. U_1 add. m_2	*ratis* O U_1
57. *Q* = *quod* m_2 *quod* F V_2 L	*quid* N D V_1
XXVII 2. *adeunda* m_2 mg	*aditura* O U_1
XXVIII 46. *q;* (om. m_1) add. in mg m_2	
XXIX 12. *intereat* (ex *intrat* m_2) U O	
21. *iniecto* (ex *imlecto*) U_2	*in lecto* O
27. *narrabat* (ex *narratum*) U_2 *narrabat* F L *-bant* V_2 mg	*narratum* N D V_1
40. *laxa* (*l* ex *s* m_2) UF_2 mg V corr.	*saxa* N D F_1 L

XXX 16. *sonet* (*t* ex *s* m_2) U D V	*sones* N F_2 (*senes* F_1 L)
19. *iam* om. m_1, add. m_2; V_2 mg	*tamen* N *tu* DVLF$_2$ (om. F_1)
35. *°ᵉagri* (*ri* in ras. m_2) U *oeagri* N F D L	*oeagrii* V
XXXI 8. *uiuida* (*ui* pr. ex *in* m_2) U *uiuida* N F_1 L	*invida* D V F_2
XXXII 3. *o cynthia* ex *ochynthia* m_2	
4. *telagoni* U_2 (ex *lethogoni*) *thelegoni* V_2 mg	*lethogoni* O (*lothogoni* L)
8. *uetat* (*et* ex *oc* m_2) U; F L D V	*uocat* N
13. *creb.* *plat.* (b (2)) *par.* (a (2)) U *creb. par. plat.* D V	*creb. plat. par.* F L *plat. creb. par.* N
23. *nostra*ˢ ⁽²⁾ U *nostras* F	*nostra* N D V L
26. (*fabula* U_1) *rabula* m_2 mg	*fabula* O
51. *nolint* (*in* ex *ui* m_2) U; *nolint* V F L *uolint* D	*noluit* N
61. ‸₍₂₎*que*₍₂₎ *es* (in mg *tu* m_2 U *tuque es* N F L	*siue es* D V
XXXIII 16. *uia est* (*est* a m_2) U D V	*via* N F L
29. *cecropiis* (*e* ex *i* m_2) U D V	*cicr.* N F L
XXXIV 12. *posset*ᵉᵗ (*t* ex *s*, *&* spscr. m_2) U *posset et* F	*posses* N *posses et* D V (V_2 del. *et*) L
31. *musis* (b (2)) *memorem* (a (2)) U *mem. musis* N V_2	*musis mem.* F D V_1 L
54. *fulmina* (ex *flum.* m_2) UFLDV	*flumina* N
61. *littora* (*li* in ras. a m_2)	

Liber III.

I 5. *tenouistis* (*t* pr. ex *r* m_2) U	*tenuastis* N F_2 *tenuistis* F_1 D V L
29. *polyledamantes* (ᵃ; *o* ex *u* m_2) U *poliledamantes* N *poli ydamātes* D	*puliledamātes* (ᵒ) F *puliledamantes* L *p u l ≡ ydamātas* V

I 32.	*oetem* (2)··· *oete* F_1 L	*oete in* N *oetaei* DV *oetei* F_2
33.	*memorator* (*o* alt. ex *u* m_2) U; O	*memoratur* N
36.	(*ipse* U_1) *esse* m_2 in mg	*ipse* O
III 1.	*in* om. m_1, spscr. m_2	
27.	*erat* (*a* ex *i* m_2) U O	
42.	*tangere* m_2 in mg	*ting(u)ere* N U_1 F L D *cingere* V
V 35.	*bootes* (*ot* ex *on* m_2) U D V *boothes* F_2 in mg	*boon* N om. F_1 L
VII 1.	*vitae* (*ae* ex *a* m_2) U O	
24.	*ephigenia* (*e* pr. ex *i* m_2) U	*iphigenia* D V *-genea* N *hypigenea* F (L)
46.	*ubi* (*u* ex *i* m_2) U N L F_2	*nisi* F_1 D V
IX 59.	*Hoc* (*o* ex *e* m_2) U O	
X 1.	*m* = *ane* (*m* ex *in*, *n* ex *r?* m_2) U	*mane* O
15.	*Dein* (*in* m_2 in ras.) *qua* UF_2 mg V_2 N	*Denique* F *De qua* V *Te qua* LD (id. mg. p. v. l. *Denique*)
XI 19.	*q̄ bi* (*q* m_2 ex *i*) U *orbe* (*o* ex *u* m_2) U; O	*qui* O
33.	*alexandrea* (*e* alt. ex *i* m_2) U	*alexandria* O
35.	*ubi* (*i* m_2, *u* fort. ex *ti*) U *ubi* N D V	*tibi* F L
72.	*ionio* (*i* pr. ex *c* m_2) U; O	
XII 12.	*cataphratus* (*a* alt. ex *o* m_2) U *cataphractus* D V corr. F_2	*catophratus* N F_1 L
14.	*Si credeūt* (*ū* ex *n* m_2 in ras.) U (2) *Sic redeunt* V_2	*Si credent* F L D V_1 *Si credunt* N
XIII 5.	*mitrit* (ex *nutrit*) U_2	*mittit* O (*nutrit* F_2 mg)
7.	*ostrinos* (*o* pr. ex *a* m_2) U; O;	*prebet* (*e* pr. ex *o* m_2) U; O
10.	*icariote* (*te* ex *re* m_2) U; N F_2 D V_1	*icariore* F_1 L (*icarioti* V_2)
XV. 38.	*dircen* ex *dircem* U_2 *dircen* N L F_2 (F_1 *duren*)	*dircem* D V

XVII 10. *sanabunt (u* m_2 in ras.) U; O
17. *minuam* (ex *numen)* U_2 *numen* N D V *niũe* F *numerem* L
XVIII 24. *torti (t* alt. ex *c* m_2) U; L D *torti (ti* ex *ci*) F (*torui* F_2 mg V_2) *troci* N
28. *parit (ri* a m_2) U; N L D V *premit* F, non Urb_1, D mg
XXII 1. *annos* (*o* ex *u* m_2) U; L_2 F_2 *annus* O (*amnis* D)
9. *gerionis* (*e* ex *i* m_2) U; ex *gir.* F *geryonis* D V *girionis* N L
23. *fluis (i* ex *e)* U_2 *clitumnus* (*c* add. m_2) U om. F_1, add. F_2 *flues* O *litumnus* N *liciminus* D (L) *liciinnus* V
36. *bove* (*e* ex *i)* U_2 D V F_2 *bovi* N F_1 L

Liber IV.

I 26. *lyceus* (ex *licens* m_2) U F *licens* N L D V
31. *coloni* mg U_2; O *soloni* N (*seloni* U_1)
41. *omina* (ex *omnia*) U_2; N V_2 *omnia* F L D V_1.
47. *victricia* (*ric* in ras. a m_2) U; O
65. *arces* U_2 mg (*asis* U_1 in textu, F_2 mg) *quisquis* N D V_1 *quasuis* F_1 L *si quis* V_2 mg
73. *cantus (u* ex *a)* U_2 *cantas* O
74. *pigenda* (*d* ex *o* m_2) U; O
75. *haud* U_2 in mg *aut* O (*at* U_1)
81. *pretium* (*m* a m_2) U; O
II 2. *petenda* U_2 mg; F_1 L D V_1 *paterna* U_1 N F_2 V_2
11. *pręcepimus* (corr. m_2) U *percepimus* F L *praecepimus* N D V
25. *faeno* (*ae* ex *re* m_2) U; N L V (D F)
29. *at* (*t* ex *c* m_2) U; N *ac* F L D V
49. *at* U_2 mg; F L D V_1 *et* N V_2 (*&* U_1)
58. *meta* U_2 mg *creta* U_1 O
III 21. *ocno* (*c* a m_2 in ras.) U; N *oeno* F L D V (*aeno* V_2)
71. *capenę₍₂₎* (*e* pr. ex *i* m_2) U *capenae* D V *capen* ≡ *e* F *capinę* N L
IV 1. *tarpeię₍₂₎* (*i* ex *l* m_2) U *tarpei(a)e* L D V F_2 *tarpelę* N *tarpelle* F_1

IV 7.	*acerno* (*n* ex *u* m_2) U; O	*aceruo* F_1
V 19.	*peruret* (*e* alt. ex *i* m_2) U; V_1 *perure* O	*perurat* V_2
57.	*ne*[c] (*c* a m_2 add.) U; *nec* O	
60.	*ne*[c] (*c* a m_2 add.) U; *nee* V_2	*ne* O
VI 25.	*nereus* U_2 in mg, F_2	*nerris* U_1 O
45.	*prope* (*p* alt. ex *b* m_2) U; O	
VII 86.	*aniene* (*e* pr. in ras. m_2) U	*aniane* NLDV (*auiane* F)
VIII 24.	*molosa* (*o* pr. ex *a* m_2) U *molo(s)sa* O	*malosa* N
28.	*thoro* (ex *tuo* m_2) U; O	
45.	*secundos* (*s* alt. add. m_2) U; D V	*secundo* N F L
68.	*iacens* U_2 in mg	*latens* O U_1
69.	*exuitur* (*x* ex *r* m_2) U; V_2	*eruitur* O
IX 2.	*erithee* (*e* tert. in ras. m_2) U *erythrae* D *eritheae* V	*erithea* N *eritrea* FL
8.	*incolumes* (*e* ex *i* m_2) U	*incolumis* O
9.	*incola* (*co* ex *su* in ras. m_2) U	*insula* O
32.	*minora* (*a* in ras. m_2) U; FDV	*minore* N L
38.	*recepta* (*re* ex *sus* in ras. m_2) U; O	*suscepta* N
70.	*neṣsit* (*s* pr. exp. m_2, *s* alt. ex *c* in ras. m_2) U; *ne sit* V_2	*nescit* O
74.	*manus* U_2 mg	*cures* O (U in textu)
X 3.	*vires* (*e* ex *o* m_2) U; O	
26.	*captae* (*ae* ex *a* m_2) U; D V_1	*capta* N F L V_2
27.	*O ueii* (*O* ex *E* m_2) U	*E ueii* N *Et neii* LDVF_2 (*E neii* F_1)
XI 35.	*discessura* (*sc* in ras. m_2) U; N D V	*condissessura* F_1 *sic dissessura* L F_2
52.	*Claudia* (*Cl* a m_2) U; V_2 L_2	*Gaudia* O
53.	*cui comissos* U_2 in mg	*cuius rasos* O (*c. iasos* U_1)
101.	*sint* (ex *sim*) U_2	*sim* O

Inter hos igitur centum fere quadraginta locos codex F septuagies, N octogies, DV sexagies fere septies a lectionibus, quas praebet U_2, dissentiunt. Quare lectiones, quae ab altera manu in U scriptae sunt, neque ex DV neque ex NF sumptas esse apparet. Accedit huc, quod nonnullae $manus_2$ correcturae in U inveniuntur, quae in ceteris, de quibus agitur, codicibus non leguntur, velut

I 5, 8. *mihi* U_2 mg	*tibi* O
ibd. 15. *humor* U_2 mg	*horror* O
II 8,16. *ire* U_2	*ue* vel *ne* O
27, 2. *adeunda* U_2 mg	*aditura* O
29,21. *iniecto* U_2	*in lecto* O
32, 4. *telagoni* U_2	*lethogoni* O (*thelegoni* V_2)
26. *rabula* U_2 mg	*fabula* O; et q. s.

Quae fortasse iam in aliquo codice, ex quo U_2 quasi ex fonte hausit, exstabant, fortasse correctiones vel interpolationes ipsius sunt eius viri, qui codicem correxit. Mihi autem, si alium quendam codicem ab illo adhibitum esse putandum est, verisimilius videtur eum exemplari aliquo usum esse, quod cohaerebat cum DV, quam libro quodam, qui cognatione erat conexus cum N vel F. Cf. hanc tabulam:

Tab. VI.

I 4,22. *deferet* U_2 DV	*differet* N F
9,11. *numerini* U_2 DV	*minnermi* N
	minerinus F (*munermi* A)
15. *amoto* U_2 DV	*amota* N A F
II 8,15. *an usque* U_2 DV	*anusque* N *annsque* F
33,16. *via est* U_2 DV	*via* N F
29. *cecropiis* U_2 DV	*cicropiis* N F etc.

Sed certi quicquam de hac re statui posse nego, cum aliis locis, velut in

II 24,36 *eheu* U_2 N F	*heu heu* DV
32,61 *tu quę* U_2 *tu que* N F	*siue es* DV,

codicum DV lectio valde differat ab ea lectione, quam praebet Urbinas.

Caput V. De lectionibus Urbinatis a m_1 scriptis, quae non sunt in O. De Urbinatis auctoritate.

Denique de Urbinatis lectionibus diversis ab O mihi disserendum est. Quod autem ex hac re optime perspici potest, quale pretium codici, de quo disputamus, tribuendum sit, plurimas eiusmodi lectiones in indicem, qui sequitur, recepi. Etiam, quas singulis locis Vaticanus 3273 (v) praebet, iam hic ne repetitio molesta fiat addidi. Dissentiunt igitur inter se O et U (v) ita:

Tab. VII.

In libro I.

U	O
I 37. *auerterit* (falso!)	*adverterit* v
III 7. *spirare* v $F_2V_2N_2$ mg (recte!)	*sperare* O
IV 17. *hoc*	*haec* O *hęc* v
19. *post hac*	*post haec* v
VII 3. *sum* (falso!)	*sim* v
23. *poterant* (falso!)	*poterunt* v
IX 29. *Quid* (falso!)	*Qui* v
XI 11. *te tantis*	*teutantis* N D V_1 F_2 v *tuetantis* A F *teutrantis* V_2, *metantis* V_2 mg
XIV 22. *textibulis*	*textilibus* (recte!) v
XV 32. *scis*	*sis* (recte!) v
XIX 13. *formosa*	*formosae* (recte!) v
XX 13. *sit durum* V_2 mg	*sint duri* v (v spscr. *sit duri*)
17. *fertur* (falso!)	*ferunt* v
18. *ipse* (falso!)	*isse* v (*esse* V_2)
33. *arganthyphebe*	*argantiphege* et sim. O v
52. *iussus*	*uisus* (recte!) v

In libro II.

U	O
I 46. *conteret*	*conterat* (melius!) v
65. *hos* (falso!)	*hoc* v

(U)	(O)
III 1. *nullum* v	*nullam* (melius!)
IV 3. *detrectat*	*detractat* v. (*detractet* F)
V 10. *redibis* (falso!)	*redibit* v
VII Titulus *Ad Cynthiam*	*De Cynthia* v
2. *edita* (contra metrum!)	*edicta*
VIII 31. *fugaṣ* (v mg *fuga*)	*fugas* (recte!) v
IX 12. *simeonta* (falso!) v	*simoenta*
24. *fruere*	*fruare* (melius!) v
26. *potirentur* (contra metrum!)	*poterentur* N v *potarentur* F *peterentur* D V
X Titulus *Ad Augustum*	deest in O v
XII 18. *sed*[si] *puer est*[es]	*si puer est* O v (v mg *si puer ex* . .)
XV 22. *hic* (falso!)	*hoc* D V v *h(a)ec* N F
XVI *Ad Cynthiam*	*Ad Cynthiam de aemulo* v
45. *Nec* (falso!)	*Haec* v
XIX 23. *nec* U_1 (*non* U_2)	*h(a)ec* O v (recte!)
XXI 18. *cauere*[r]	*cavere*
XXII 26. *noctibus* (contra metrum!)	*noctu bis* v
41. *navis*	*navim* (*-em* F L) O v (melius!)
43. *dura es* (contra metrum!)	*es dura* v
48. *cur*[i]	*cur* O v (mg *cū* v)
XXIV. Titulus *Quod amans non est liber*	*Ad Cynthiam* F v (om. N L D V)
XXV 18. *immerita* (recte!) v	*in merita* O
19. *contentus*	*contemptus* v
XXVI 17. *incurrere*	*currere* v
29. Titulus *De amica sua persequenda*	deest in O v
XXVII adhaeret priori in U	Nova elegia cum titulo *De incerta hora mortis* in O v (om. V)

(U)	(O)
XXIX 1. *vagirer*	*vagarer* (recte!) v [*vagaret* F_1]
XXX 26. *de rege* (inepte!)	*tenere* (recte!) O v [*detenere* N]
37. *me* om. U	*me* v
XXXI. Nova elegia inc. in U V_2 v Titulus in U *Ad Cynthiam*	adhaeret priori
XXXII 2. *habet* v	*habent* (recte!)
28. *erit* (falso!)	*eris* v
31. *hesterno* (inepte!)	*externo* v
38. *senes* (recte!)	*senis* v
XXXIV 19. *nihil*	*nil* v
25. *insanat* (falso!)	*insanit* v
29. *erecthęi* U V_2 (2) *crechtei* v (mg m_2 *tirthei*)	*crethei* O (*erechti* N)
59. *hesternis* (recte!) v V_2 mg	*eternis* F_1 L *externis* N F_2 *aeternum* D V_1

In libro III.

I 22. *reddet* v F_2 V_2 (melius!)	*reddit*
III 19. *scanno*	*scamno* (recte!) v [*scauimo* F]
V 6. *ęra* v (recte!) F_2	*ire* O (v spscr.) *aere* N
18. *parca* (t superscr.)	*parca* O v [*ex parte* F]
VI 3. *Num* (recte!)	*Dum* O v (*Non* N)
26. *rhombi* (recte!) v V ex corr.	*rumbi* O *bombi* N
VII 29. *iam texite* (*iam* versus supplendi causa add.)	*texite* O v (*terite* N) *contexite* V_2
33. *que* (a superscr.)	*quem* N D V v mg (recte!) *quam* L v, (ex *quem* corr.) F
47. *hęc* (i superscr.)	*hoc* F *hunc* L D V *haec* N *ḣ* v
IX 10. *chalamis* (recte!)	*calamus* v
11. *ponit* U v V_2 mg F_2 mg	*poscit* N D V *posita* F L
14. *At* (recte!) v mg	*Ad* O v
miros v D mg pro v. l.	*muros* N *nuros* F L D V

(U)	(O)
IX 26. *onerare* v V_2	*honerare* F D V_1 *honorare* L F_2 *onaerare* N
X. Spatium unius versus; titulus deest	*De niobe* v
4. *tum* (*ter*) U	*ter* v
17. *polles* v F_2 V_2 (recte!)	*pelles*
27. *Sic*	*Sit* v (recte!)
XI 8. *timore*	*timere* v (recte!)
14. *Concotis*	*Meotis* N v F_2 mg (recte!) *Iniectis* F_1 D V *Nectis* L
Post vs. 16 interstitium unius versus; titulus *De michale*	vs. cohaeret prioribus in N D V L, in F legitur titulus *De omphale.* In v exstat minio pictum: De (NI) OMPHALE (NI atramento)
38. (*l:*) *croceo* (sed nihil in mg)	*socero* v (recte!)
47. *tarquinis*	*tarquinii* (recte!) D V v_2 *tarquini* N F v_1 *torquimini* L
69. *memorabat*	*memorabit* v (recte!)
38. *dęlia*	*l(a)elia* O v
XIII 23. (2) *Hǫc* (*i*) U *Hic* F_2 (recte!)	*Hoc* O v
XIV. Titulus *De moribus spartorum*	*Ad Spartum* (*-en* V_2) O v
XV 11. adhaeret priori in U	Nova elegia cum titulo *Fabula ant(h)iop(a)e* inc. in O v
32. *in adverso-nothos*	*in adversos-nothos* O v *sub adverso-notho* N (melius!)
XVI 13. *ambulet* (recte!) v V_2	*ambulat* O
14. *ᵃdeo* (= *adeo*) (recte!)	*deo* v
29. *humet ignotae*	*humer ignotae* (recte!) F v V_2 mg *humeri ign.* N *humor ign.* L *ign. humor* D V
XVIII 28. *haud* v	*aut* v (recte!)
XXII 3. *cibele* v	*cibile* N *cybelle* LDV *cybille* F

In libro IV.

	(U)	(O)
I 7.	*Tarpeiiusque*	*Tarpeiusque* LDV *Tarpeusque* F *Tarpetiusque* N *Tarpeṭiusque* v
59.	*Si*	*Sed.* v (recte!)
65.	*asis* U; v_1 mg, F_2 mg	*quisquis* NDV_1 *quasuis* F_1L *si quis* V_2 mg, v in textu
75.	*at*	*aut* v (recte!)
101.	*facite*[b] *votum*[a] U v	*facite votum*
106.	*Umbra neque*[nec]	*Umbraque ne* O *Umbrane quae* N v
118.	*Quā*[em]	*Quam* O (*Qm̄* F = *Quoniam*) *Quā* v (*Quem* v mg)
125.	*arces* in mg U_1	*asis* NFL v U in textu *axis* DV
141.	*cum fixum* (recte!)	*confixum* v
146.	*Limina* V_2 mg v (recte!)	*Lumina*
II 15.	*pruma*	*pruna* v (recte!) *poma* V_2 mg
31.	*speties*	*spetiem*[(c)] O v (recte!)
34.	*Fauon* U *Fauor*[n] v	*Fauor* N *Fauuor*[n] F *Faunor* L *Faunus* (recte!) D V
54.	*hostem*	*hostes* v (recte!)
III 16.	*Victa*	*Vitta* N v V_2 (recte!) *Vita* O
50.	*iuvat*	*uiuat* v (recte!)
IV 24.	*dixit*[u]	*dixit* v (recte!)
V 24.	*actalicis*	*attalicis* O v *athalicis* F
60.	*libet*[r]	*libet* v (recte!)
VI 17.	*uileae*	*iuleae* v (recte!)
VII 80.	*Molli*[a] (recte!) (*lia* v mg)	*Molli* v
85.	*hic*[a]	*hic* v
VIII 8.	*ima* v (recte!)	*una*
15.	*auecta*[d]	*auecta* v

(U)	(O)
VIII 21. *Spectaclum* (*cl* in ras.) U; v V_2 mg F_2	*Spectandum* F_1 D V_1 *Spectaculum* N L
22. *iocos* v	*locos* (recte!)
69. *prostratus* v F_2 (recte?)	*protractus* F_1
IX 34. *u*^{r}*iis* (recte!)	*uiis* v
X 14. *ratis* U *rat*^{i}*es* v	*rates*
18. *aprico* v F_2 V_2	*aporco* (*a porco* D) O
XI 10. *fac* (falso!)	*fax* v
14. *leg*^{u}*atur*	*legatur* v

De versibus 17 sqq. usque ad vs. 76 cf. tab. VIII in pag. 55 sq. propositam.

XI 79. *si quid* (recte!) V_2	*si quis* v
94. *uacat*	*uacet* O v (recte!) *ualet* N

Ex hac tabula satis apparet plurimas lectiones, quae differunt a lectionibus codicum O, deteriores esse quam quas in ceteris libris videmus, ita ut talia a poeta ipso scripta fuisse plane negandum sit. Ut nonnulla exempla afferam, verba, quae exstant in versu I 11,11, *te tantis* omni sententia carent; neque in vss. I 20,17/18 verba *fertur ipse* ullo modo explicari possunt. Jam vero in vs. II 30,26 illud *de rege* quid sibi velit, nemo intelleget. Omnibus autem his locis meliores lectiones in O inveniuntur. Nonnullis tamen dubium esse mihi videtur, utra lectio praeferenda sit, utrum ea, quae in U legitur, an quae ceteris tradita est. Velut in I 4,19 in O invenimus *post haec*, quod omnes, qui carmina Propertii ediderunt, in textum receperunt, Urbinas praebet *post hac*. Quae verba fortasse in archetypo unum verbum efficiebant, tum nescio quo modo inter se separata et in *post hec* correcta sunt, in eo autem fonte, quo Urbinatis librarius usus est, vox *hac*, quamquam seiuncta erat a *post*, integra remansit. Mihi quidem *posthac* genuinum esse videtur, quod duobus versibus ante iam *haec* legitur. Sed haec res parvi momenti est.

Quod pertinet ad titulos singulis elegiis praefixos, archetypum inscriptionibus caruisse censeo. Puto enim, quod iam supra dixi, librarium Neapolitani, siquos in exemplari titulos vidisset, eos in textum recepturum fuisse. Quare non meum esse arbitror de his codicis U inscriptionibus, quae dissentiunt ab O aut omnino in O desunt, disputare, praesertim cum differentiae, quae exstant, minimae sint. De bonis autem lectionibus, quas praebet Urbinas solus, pauca dicam. Legimus enim, ut singulos eiusmodi locos inspiciamus, in I 3,7 in codd. O *sperare*, cuius verbi quae sit sententia intellegi nequit, U recte praebet *spirare*. Sed cum haec eadem lectio exstet in $F_2V_2N_2$ mg, ad Urbinatem hic non confugiendum est. Tum quod attinet ad vs. I 20,13, ubi in O legitur *sint duri* falso scilicet, in Urbinate *sit durum* recte, iam in codice V bonam lectionem restitutam videmus ab altera manu, quae etiam in II 33,4 recte correxit *inacus* in *inachis*, quod praebent F_2 et U; eademque in II 34,59 in mg scripsit *hesternis*, quae vox in U, non in O invenitur, et in II 34,29 eandem lectionem textui inseruit, quae in Urbinate occurrit, *erecthei*. Illis igitur locis nihil ex U novi depromitur, ut ita dicam, cum lectiones iam aliunde nobis notae sint. Restant hae bonae lectiones, quas neque priores neque recentiores codicum O manus receperunt:

II 25,18.	*immerita* U	*in merita* O
III 6, 3.	*num*	*dum* O *non* N
9,10.	*chalamis*	*calamus* O
14.	*At*	*Ad* O
16,14.	*adeo*	*deo* O
IV 1,141.	*cum fixum*	*confixum* O
7,80.	*Mollia*	*Molli* O
9,34.	*viris*	*viis* O
11,14.	*le$\overset{u}{(g)}$atur*	*legatur* O

Num ex his novas res discimus, quibus textus in ceteris codicibus traditus funditus evertatur? Nihil quidem Urbinas praebere mihi videtur, quod magni momenti sit, sed perpaucas

leves mutationes, quae ab iis quoque, qui hunc librum non inspexerunt, facile inveniri possunt; alia, quae sunt graviora, in nonnullis codicibus familiarum (A)F(L)DV et N iam ab altera manu sive addita sive correcta videmus, ita ut ne his quidem locis Urbinatis auxilio nobis opus sit. Saepe vero verba legimus, quae, cum abhorreant, ubi nobis occurrunt, a sermone Latino, certo non eadem sunt, quae Propertius ipse scripsit. Quare omnes, quas supra attuli, lectiones Urbinatis vix dignae sunt, quae in apparatum criticum editionum recipiantur; nihil enim in illis versibus in U est, quod habeat proprium pretium.

Fortasse tamen, ubi N deficit, ad codicem U confugere nobis licet. Ac primum in carmine libri IV. undecimo versus inde a septimo decimo usque ad septuagesimum sextum in Neapolitano uno folio interlapso omissi sunt. Vidimus autem Urbinatem semper fere cum N contra ceteros codices sive omnes sive nonnullos facere, paucis locis a N dissentire. Quare quid obstat, quin lectionum, quae in U in illis versibus occurrunt, maximam partem in exemplari a Neapolitani librario descripto fuisse arbitremur? Afferam has omnes lectiones, quae diversae sunt in F L D V, diversae in U (l, v), ut cognoscatur, quae sit memoria in U et fortasse in N tradita.

Tab. VIII. N deficit.

IV 11,18. *Det pater* (recte!) U l v O	*da* V_2
umbrae U L D V l v	*in* (exp. m_2) *ūbere* F
20. *iudicet* U L D V l v	*uindicet* (recte!) F
21. *sella et* U V l v	*sella* F L D
23. *Sisyphe* U L D V v (*Sysiphe* l)	*Sinciphe* F (F_2 mg *Sisiphe*)
26. *laxa* (recte!) U L D V l v	*lapsa* F
29. *trophęa decori* U *trophea* (2) *decori* l v	*decora trophei* O (*fama decori* V_2 mg)

IV 30.	*(a)era* U V_2 mg F_2 l v	*et* L D V om. F_1
	loquuntur U L D V l v	*locuntur* F_2 om. F_1
34.	*Vinxit* (recte!) U L D V l v F_2	*uiuat* F_1
	victa U F	*vitta* (recte!) L D V l v
35.	*tuo sic discessura* (*sc* a m_2) U D V v *tuo sic dissessura* l *tuos sic diss.* L	*tuos condissessura* F (*tuo sic diss.* F_2)
39.	*persen* U L F_2 l v	*persem* D V *prosen* F_1
40.	*proavos* U l v	*proavo* O (*proavus* V_2 mg)
43.	*Non fuit* U F_2 V_2 mg l v (recte!) *exuviis tantis* (recte!) U v V_2	*Confuit* D V *Ton fuit* F L *eximi stantis* D *eximii stantis* F_1 *exuvii stantis* l V_1 F_2 L D_2
	damnum (recte!) U F L v V_2 (l)	*damni* D V_1
44.	*pars* (recte!) U L D V l v	*par* F
46.	*insignes* (recte!) U l v F_2 V_2	*insignem* F_1 L D V_1
48.	*possis* U L F D V_1 l v	*possim* V_2
50.	*assensu* U L D V_1 l (v)	*asensu* F *ascensu* V_2
51.	*cibelen* U l v	*cibelem* F L *cybellem* D V
53.	*cuius iasos* U l v (*cui comissos* U_2 mg)	*cuius rasos* O (*casso extinctos* V_2 mg)
54.	*carbasus* (recte!) L D V l v F_2	*carbasis* F_1
	alba (recte!) L D V l v F_2	*alta* F_1 D mg p. v. l.
59.	*vixisse* (recte!) L D V l v F_2	*misisse* F_1
62.	*facta* (recte!) L D V l v	*fata* F
63.	*lepide* (recte!) L D V l v F_2	*lapide* F_1
64.	*vestro* L D V l v F_2 add.	om. F_1 L
67.	*specimen* (recte!) V l v D mg p. v. l.	*speciem* F L D
68.	*unum* D V l v F_2 add.	om. F_1 L
69.	*fulcite* (recte!) L D V_1 l v	*fulcita* F *fulgite* V_2 mg
70.	*uncturis* (quod propius a vero abest) U L D V l v	*nupturis* F
75.	*maternis* F L D V_2 l v	*matrinis* V_1

Accedunt complures versus in Neapolitano omissi vel mutilati, quorum lectiones ita sunt traditae:

II 22,50. (om. N) *Quem qu(a)e scire timet, quaerere plura iubet* U l v (recte!)
Quem quae scire timet, quaerere fata iubet F
Quae quoque scire timet, quaerere plura (F_2) *iubet* DV
Quae quoque scire timet, quaerere fata iubet L.

34,53. *restabit* . . N
restabit (a)erumnas U l v (F L) (contra metrum!)
restauerit undas D V
} in omnibus textus deperditus est.

83. *minor ore canorus* (om. N) U l v = O

III 1,27. *cunabula parvi* (om. N) U l v = O

9,35. *Non ego velifera tumidum mare findo carina* (om. N) U l v = O

IV 3, 7. *bactra per ortus* (om. N) U l v (recte!)
blactra p. o. F_1 L D (V_1?)

Ex hac igitur tabula fortasse, quae fuerint lectiones Neapolitani, cognosci potest; certi quicquam statui posse nego. Neque ad textum restituendum his locis U inspici opus est. Nam quod quinquies Urbinas discedit a libris F L D V omnibus, in versu quidem IV 11,40 id, quod in U (l v) legitur, deterius est quam codicum O lectio, versus autem IV 11,53 et in U_1 et in O depravatus est, ceteris locis, ubi U l v soli rectam lectionem praebent, in vs. IV 11,29. 67. IV 3,7 ex iis, quae in L F D V codicibus inveniuntur, quid Propertius ipse scripserit, intellegitur.

Paucis, cum iam haec res ad finem perducta sit, comprehendam, quae supra explanatius exposui. Codicem Urbinatem, quamquam sexcenties cum N consentit, tamen ex hoc libro ipso vel solo non descriptum esse inde apparet, quod compluribus locis longe differunt lectiones huius ab illo. Mihi quidem uterque codex ex eodem fonte derivatus esse videtur, quo primo librarius Neapolitani, tum, postquam exemplar correctum est, librarius Urbinatis usus est. Correcturae autem, quae in U exstant,

cum nihil prae se ferant, quod novum vel magni pretii sit, Urbinas non dignus est, qui in apparatu critico editionum locum obtineat.

Hoc idem iudicium de Urbinate facere videntur et P. Koehler[1]) et Th. Heukrath[2]), qui in dissertationibus de Lusatico scriptis perraro codicis U subsidium, ut ita dicam, invocant. Sed mirandum est, quod iidem viri Lusaticum, quem ipsum codicem commixtum esse concedunt, tantis laudibus efferunt. Quare operae pretium esse censeo quaerere, quo modo ad sententiam suam illi adducti sint. Atque primum quid de origine et parentibus Lusatici singuli viri docti docuerint, videamus.

Pars II. De codicibus Lusatico et Vaticano.

Caput I. De origine Lusatici.

Codicis Lusatici librarium unum solum exemplar, quod attribuendum sit classi X, descripsisse, iis autem locis, ubi lectiones illius libri depravatae fuerint, ad alterum fontem confugisse Peper contendit. Qualis hic alter fons fuerit, Peper non exponit, sed satis habet profiteri l classi X adiungendum esse neque minore auctoritate valere quam N.

Nimis confidenter hoc iudicium factum esse iam Koehler cognovit. Qui maiorem esse fidem Neapolitani, quippe qui testis purus et integer sit, docet, Lusatico autem, cuius textus et ex x et ex y congregatus sit, secundum inter omnes codices Propertianos locum dat, cf. diss. pag. 70. Sex annis post dissertationem emissam iterum Koehler de l egit et ea, quae de origine huius codicis sentiret, his verbis comprehendit[3]): ‚Nach genauer Prüfung sämtlicher Stellen bin ich zu folgendem

1) cf. Koehler, Diss. p. 12. 71.
2) cf. Heukrath, l. c. p. 14.
3) cf. Philol. (1905) p. 413 sq.

Resultat gelangt: Wir haben in dem Lusaticus eine aus zwei Vorlagen zusammengestellte Handschrift, deren eine mit dem Neapolitanus, dem anerkannt besten Codex, nächst verwandt ist, während die andere in einem nahen Verhältnis zu den Handschriften der anderen Klasse D V A F steht. Mit gutem Verständnis ist diese Compilation ausgeführt, sodaß wir allerdings meines Wissen in keiner Handschrift soviel richtige Lesarten finden wie in l.' Sane hercle in Lusatico plures bonas lectiones invenimus quam in singulis classium x et y codicibus. At tamen cavendum est, ne solam ob eam causam nimiam auctoritatem illi libro attribuamus; nam illas lectiones partim ex x partim ex y sumptas esse verisimile est. Quod ipse affirmat Koehler, qui Lusatici textum ex duobus fontibus conflatum esse putat. Ille enim librarium codicis l eodem tempore utriusque classis exemplaribus usum esse demonstrare conatur hoc modo[1]): In vs. IV 2,34 legimus:

in l *Faunor*, in N *Fauor*, in D V *Faunus*.

Illud *Faunor*, quod praebeat l, a librario inter scribendum ex *Fauor*, quod exstet in x, et *Faunus*, quod legatur in nonnullis classis y codicibus, compositum esse Koehler docet. Eodem modo ortas esse lectiones has:

II 3,24. *Ardidus* (supp. m_1) ex *Aridus* (N F) et *Ardidus* (DV)
25,42. *ducis* ex *ducit* (N) et *dulcis* (D V)
29, 4. *hoc* (*s* add. m_1) ex *hoc* (N F) et *hos* (D V)
III 12,35. *arctus* ex *arcus* (N V corr.) et *artus* (D F).

Quam Koehleri sententiam impugnaverunt Postgate[2]) et Heukrath. Ille quidem Lusaticum proxima cognatione coniunctum esse contendit cum Holkhamico. Multis enim locis his duobus codicibus lectiones a ceteris libris dissentientes traditas esse, quarum partem iam Koehler[3]) attulerit, velut in

III 3,11. *lacres* L l — *lares* F — *lacies* N — *alacres* D V
12,34. *latreus* L l — *latus* F — *lacus* N D V

1) l. c. p. 415.
2) cf. Class. rev. tom. 20. anno 1906 ed. pag. 349 sqq.
3) diss. pag. 62.

IV 7,16.	*trista* L l	*trita* cett.
10,46.	*circo* L l	*certo* cett.;

aliasque, quas videas in illorum dissertationibus. Postgatio igitur persuasum est L et l ex eodem fonte fluxisse, quem nota Φ signat, i. e. ex codice aliquo, qui pater vel avus Laurentiani fuerit. Quod autem Lusaticus compluribus locis alias lectiones praebeat ac F et L, velut in II 26,35 *Velaque in* l N D V *Velaque* F *Vela quod* L, librarium eius ex altero exemplari diverso a Φ („a source exterior to Φ') hausisse Postgate existimat.

Denique, quae Heukrath scripsit de Lusatici origine, repetamus! Primo Heukrath, cum Postgatii iudicium evertere studeat, ea, quae ille litteris consignavit, non semper recte interpretari mihi videtur. Dicit enim in dissertationis pag. 21 ex verbis Postgatii ipsis apparere eum Lusaticum quasi apographon Holkhamici putare. At hoc Postgatium contendere negaverim ea de causa, quod ille fortasse nonnullas lectiones genuinas codice l traditas esse dicit, ubi codicum L et F textus depravatus sit. Quod nullo modo Postgate contenderet, si Lusaticum solo ex Holkhamico descriptum esse censeret. Quare Heukrath non recte facit, quod illum virum magnopere erravisse profitetur; id autem bene intellexit multas lectiones, quas praebet l, tam diversas esse ab L, ut Lusaticum recta via ex L prodisse non versimile sit. Cf. exempla ab Heukrathio[1]) congesta, quorum partem hic afferam:

	l	L
III 5, 6.	*era clade*	*ire classe*
12.	*nectimus nova*	*querimus ora*
17.	*hero*	*iro*
24.	*Sparserit et*	*Sparsit et*
43.	*Num*	*Non*
47.	*hic*	*huius*; et qu. seq.

Ex hac tabula quamquam cognoscitur, quanta differentia sit inter l et L, tamen Heukrath utrumque librum ad eundem

1) l. c. p. 22.

fontem referri posse non negat. In dissertationis enim pag. 38 contendit librarium codicis L carmina Propertii repetivisse ex exemplari aliquo γ, quod, non totum, sed ex parte Φ simillimum fuerit, eodemque libro Lusatici auctorem usum esse. Quod autem in l permultae lectiones inveniantur eaedem vel similes atque quas praebeat Neapolitanus, non L, librarium Lusatici praeter γ alterum exemplar, quod inserendum sit classi X, adhibuisse et ex his duobus fontibus textum ‚optimo consilio' composuisse Heukrath docet. Tum, quod l nonnullas quoque codicum D V lectiones habeat, primum librarium codicis L γ descripsisse, postea autem ex codice aliquo familiae Δ correcturas in γ receptas esse, quae inde in textum Lusatici aetate posterioris venerint:



Valde igitur diversa sunt inter se iudicia, quae de Lusatici codicis origine facta sunt. Peper classi x illum tribuit, Koehler ex utriusque classis et x et y exemplaribus textum eius conflatum esse censet, Postgate eum familiae Φ inserit, Heukrath genere propiorem eum esse classi y quam x existimat. Hoc unum, quod iam Hosius[1]) vidit, omnes illos viros fugit Lusaticum proxima cognatione coniunctum esse cum Urbinate 641, de quo supra disputavimus. Sescentis enim locis easdem lectiones

1) cf. edit. praef. pag. X.

sive bonas sive falsas et in U et in l invenimus, quarum altera pars ex x, altera ex y sumpta est. Inspiciamus, ut duorum librorum consensus bene cognoscatur, has tabulas, quae etiam Vaticani 3273 lectiones continent!

Tab. IX. U et l idem vel fere idem praebent.

Liber III.

	U l	
I 19.	*vestro* N D V v	*nostro* F L
21.	*detraxerit* N D V_1 L v	*detraxit* F (*detraxerat* V_2)
22.	*reddet* F_2 V_2 v	*reddit* O
23.	*Omnia* F L D V v	*Fame* N
II 2.	*su(b)stinuisse* N F L v	*detinuisse* D V
4.	*in muri* D V v_1 mg	*in numeri* N L v *īmineri* F
7.	*nobis* N D V v	*nostro* F L
12.	*antra* F L D V v	*ante* N
13.	*At* N F V_2 v	*Ut* D V_1 *Ac* L
20.	*vacant* N F v	*vacat* L D V
23.	*subducet* F L D V v	*subducit* N
III.	*Somnium Propertii* L D V v	*Tertium somnium Propertii* F
11.	*lacres* U_1 (*locros* eadem manus) l v L (V_1?)	*lares* F *lacies* N *alacres* D V_2
21.	*praescripto* O *p̄scripto* v	*perscripto* N
	est N D V v	om. F L
32.	*gorgoneo* N v F_2 V_2	*gorgonico* F_1 D V_1 (*-nio* L)
35.	*in* O v	*et* D
36.	*at* O v	*et* F
41.	*pr(a)economia* N L v	*pr(a)economica* F D V
IV.	*De triumpho C(a)esaris* LDV v	*De triumpho quartum capitulum* F
9.	*clademque* N F L V_2 v	*cladesque* D V_1
13.	*Qua* N F L v	*Quam* D V
19.	*serva prolem* N V_2 v	*pr. serva* F L D V_1
22.	*sacra* N V v	*media* F D (om. L)

	(U l)	
V 6.	*ęra* U F_2 *aera* l	*ire* F_1 L D V
	ire	
	aere N *aera* v	
	classe	
	clade N F_2 *clade* v	*pace* F_1 *classe* L D V
7.	*fingenti* O v	*frangenti* N
12.	*nectimus* N V F_2 mg v	*qu(a)erimus* F L D
18.	*acta* N L v	*apta* F D V
21.	*iuvet* N F L v	*iuvat* D V
24.	*Sparserit et integras* N l	*Sparserit int.* D V
	Sparsẹrit et integras U	*Sparsit et int.* F L
	Sparsẹrit & integras v	
28.	*luna* F L D V v	*plena* N
31.	*arces* N v V corr.	*arcem* (*c* supra lineolam) F D
	artes L	
34.	*atratis* N L v	*attractis* F D V (c a F_2 et V_2 supp.) *auratis* F_2 mg
	c	
	atratis l (c a m_1)	
	t c	
	atratis U_1	
42.	sq. *Num* (quater) F D V v	*Non* (quater) N L
VI 3.	*Num* U l v *Non* N	*Dum* F L D V
7.	*Nunc* O v	*Non* N
11.	*Nec* N F L v	*Haec* D V
26.	*rhombi* v V corr.	*rumbi* F L D *bombi* N
36.	*Hac* N F L v	*Haec* D V
	rursus N F L v	*cursu* DV_1 (V corr. in *rursus*)
41.	*Quod* N F_2 V_2 v	*Quid* F_1 L D V_1
	mihi si O v	*nisi et* N
VII 22.	*argynni* U V_2 mg v	*arguiuum* D V
	arginni L l *agynni* N	*argium* F
23.	*Hoc* N F_2 V corr. v	*Nec* F_1 L D
25.	*positaque* O v	*posita est* N
46.	*at* N F L v	*et* D V
49.	*orithia* U *orithya* l	*corythia* D V (L)
	orythia N v	*corinthia* F

(U l)	
VII 52. *invisam* N L F_2 V_2 v	*invitam* F_1 D V_1
57. *Di* N v	*Dii* O
61. *affligar* N F L; (*adfl.*) v	*affligor* D V
66. *voxque* N V_2 v (v mg *nox*)	*noxque* F L D V_1
68. *thetis* N F_2 v	*pedis* F_1 D (V) *petis* L *t*^{h}*et* ≡ *is* V tot. in ras.
VIII 16. *miseram* N F L v	*miserum* D V
18. *Has* N F_2 V_2 v	*Nam* F_1 L D V_1
IX 2. *Intra* N L F_2 V_2 v	*Inter* F_1 D V_1
11. *ponit* F_2 et V_2 mg v	*poscit* N D V_1 *posita* F L
36. *flumine* N v	*eflumine* F ≡ *flumine* V *eflumine* D L
57. *fautor* D V F_2 v	*factor* N *faustor* F_1 L
X 3. *misere* N v	*miserere* F L D *misere* ≡ ≡ V
19. *ubi* N F_2 V_2 v	*tibi* F_1 L D V_1
21. *Sit* N F V_2 v	*Sic* L D V_1
23. *rauca* N F_2 V_2 v	*pauca* F_1 L D V_1
31. *thalamo solemnia* U *th. solempnia* l *th. solennia* v *th. sollēpnia* N	*thalamo et sol.* F L D V (V_2 del. *et*)
XI 24. *Nec* N F L v	*Ne* D V
25. *qua* N F_2 mg V_2 v	*quam* F_1 L D V_1
35. *Tres tibi* U_1 l F_2	*Tres ubi* N D V U_2 v *Hec tibi* F_1 *Res tibi* L
post vs. 38 nova elegia inc. in U l v F L	adh. prior. in N D V
48. *notat* N F L V_2 mg v	*uocat* D V
51. *uada* N F L v	*uaga* D V
59 et 61. *monimenta* N *moni*^{u}*menta* v	*monumenta* F L D V
61. *Curius* U N v *Curtius* l V_2 (*Curcius* F_2)	*Durius* F_1 L D V_1

(U l)	
XI 62. *At* N F V_2 v	*Ac* L D V_1
68. *modo* N L D V v	*ubi* F
XII 4. *faceres* N F_2 V_2 mg v	*facias* F_1 L D V_1
5. *pereatis* N L D V v	*pereantur* F (*perimantur* F_2 mg)
14. *qui* N L V_2 v	*qu(a)e* F D V_1
21. *salvum* N L D V v	*sanum* F D mg p. v. l.
32. *natasse* N v	*notasse* F L D V
XIII. *De avaritia et luxu matronarum* F L v	*De av. et luxuria matronarum* D V
2. *exhaustae* O (-*e*) v	*exhausto* N
3. *et* N V_2 mg v	*est* F L D V_1
23. *hic nulla* N V_2 in ras. v	*nupta* F *innupta* L D
26. *quorum* N F_2	*quarum* F_1 L D V v
27. *Illis munus erant* N v	*Ill. mun. erat* V *Illius munus* D *Illis* . . . . (lac. 5 litt.) F (F_2 mg *pompa fuit, munus erat, cura fuit*) *Illis munus* L
decussa F L D V v	*discussa* N
28. *rubis* N L D V_1 v	*rubris* F V_2 mg
33. *tum* N F v	*cum* L D V
antra F L D V v	*rara* N
43. *Et* N F_2 V_2 v	*Ut* F_1 L D V_1
venaberis N V_2 v	*veneraberis* F L D V_1
45. *pana* N L D V v	*penna* F
47. *At* N F_2 V_2 v	*Et* F_1 L D V_1
51. *limina* N F_2 V_2 v	*lumina* F_1 L D V_1 v mg
53. *mons* N F_2 V_2 v	*mox* F_1 L D V_1
aurigero N F L v	*laurigero* D = *aurigero* V
54. *parnasus* N v	*parnasi* F *prnasis* L
parnassus V (*s* alt. a m_2)	*parnassi* D
56. *pio* N v F_2 mg	*tuo* F L D V

	(U l)	
XIII 58.	*nusquam* N F_2 mg V_2 mg v	*nunquam* F L D *nunc* V
60.	*suis* F L D V v	*sitis* N
66.	*veros* N L D V v	*verax* F
XIV 1.	*miramur* N L D V v	*mirantur* F
11.	*ense* N D V v	*esse* F L
13.	*amazonidum* N D V v	*amazonicum* F L
14.	*lauatur* N F V_2 v	*lauantur* L D V_1
15.	*t(h)aygeti* U l N v *taigeti* D V	*tageti* F L
17.	*habenis* N F_2 mg V_2 mg v (mg *-re*)	*athenis* F_1 L D V_1
19.	*capere arma* N v (*capera armis* F_2 mg)	*est armata* F *armata* D V *arma* L
	papillis N F_2 v	*capillis* F_1 L D V
23.	*Nec* N D V v	*Non* F L
27.	*Nec* N v	*Non* F L D V
29.	*ingenti* F L D V v	*ingenii* N
30.	*via* N V corr. v	*tua* D (fort. V_1) *nr̃a* F *tria* L
33.	*fores* F L D V v	*feres* N
	laconum F L D V v	*leonum* N et quae sequ.

Nonne ex hoc indice apparet Lusaticum et Urbinatem artissime inter se cohaerere? Plurimis enim locis eaedem lectiones exstant in hoc atque in illo, quarum altera pars etiam in N, altera in classis y libris, sive F L sive D V, invenitur. Tum, quod semper fere l et U in rebus orthographicis inter se consentiunt, hoc quidem concedo illius aetatis librarios ipsos saepe, quae inveniebant in exemplaribus, ad suum arbitrium mutasse propriamque vocabulorum scripturam adhibuisse. At tamen nonnulla in U et l ex eodem fonte irrepsisse puto. Cf. enim vs. III 9,13 cum III 9,29, ubi uterque codex praebet *oppugnare* et *obprobio*, et III 7,57, ubi l et N Neapolitani lectionem *Di* continent, cum III 13,41, ubi et in l et in U legimus *Dii*, quod est in classis y codicibus, non in N.

Deinde ex illis, quae proposui, exemplis hoc idem, quod iam supra demonstrare conatus sum, cognosci potest Urbinatem propius abesse a classi x quam ab y. Ergo etiam fons Lusatici classi x inserendus est. Redeamus igitur ad sententiam Peperi, qui codicem l classi x attribuit, reiciamus iudicium Postgatii et Heukrathii, qui eum familiae Φ exemplaribus ascripserunt! Lusaticus autem non merus sincerusque classis x testis aestimandus, sed ita ut Urbinas inter codices commixtos numerandus est, quod recte viderunt Koehler[1]), Postgate, Heukrath. Multas enim lectiones praebet, quae non occurrunt in x, sed in y, quarum partem supra attuli. Quo modo illae in codicis l contextum venerunt? Koehler[2]) quidem docet uno eodemque tempore duobus exemplaribus librarium Lusatici usum esse atque hoc loco codicis x_x, illo codicis y_x lectionem repetivisse. Sed recte Heukrath in dissertatione inde a pag. 57 hanc sententiam impugnat omniaque fere, quae in l tradita sunt, iam in fonte exstitisse contendit. Quod iudicium ego quoque de textu Lusatici fecerim, quamquam alia causa, ut ita sentiam, adducor atque ille.

Plurimas enim codicis l lectiones etiam in Urbinate invenimus, quae res nulla ratione explicari potest, si utrumque librarium his locis ex compluribus libris hausisse arbitramur. Lusaticum autem ex Urbinate vel ex contrario hunc ex illo descriptum esse plane negandum est, nisi forte quis omnibus locis, quibus U et l inter se differunt, coniecturas aut ab huius aut ab illius librario factas esse censeat. Nam illi codices, quamquam arta sunt coniuncti cognatione, tamen nonnullis locis valde inter se discrepant. Inspiciamus has tabulas!

---

1) Lusaticum non esse derivatum ex archetypo ipso Ω Koehler ostendit in dissert. pag. 63.

2) cf. diss. pag. 63 et Philol. l. c. p. 415.

Tab. X. Differentiae exstant inter U et l in libro III:

U	l
in I 11. *vectantur* N F_1 D V v	*nectantur* L F_2
28. *campos* O v	*campo*
40. *insolito* N L v	*in solito* F D V (*ut solito* V_2)
II 9. *tenareis* O v	*terraneis* l_1 *tenariis* l_2 mg
22. *pondere* NLDV *pondere*[a] v	*pondera* F
III 2. *bellorophontei* UF(L) *bellorofont(a)ei* D v *bellerof.* V	*belloforontei* l *elloforontei* N
34. *exercent* O v	*exercens*
IV 9. *Omnia* NFLD; *omnia*[min] v	*omina* V
V 36. *pleiadum* O F_2 v (*pelliadum* F_1)	*pleiadii*
VI. *Ad lygdamum* (O) v *ad* om. L	*Ad ligdamum servum*
30. *uicta* F	*uitta* l D V v *uita* N L
VII 22. *Qua* N L D v	*Quae* l V *Que* F
47. *hęc*[i] U *haec* N *ḣ* v	*hoc* l F (*hunc* L D V)
62. *est* om. U	*est* O v
VIII 13. *gregibus* O v	*gregi*
IX 9. *effingere* N v	*fingere* F L D V
10. *chalamis* (melius!)	*calamus* O v
14. *At* (melius!)	*Ad* O v
24. *liceat* O v	*licet*
33. *tenebis* U corr. O v	*tenebris*
42. *Victor* O v	*Victo*
X. Titulus deest.	*De niobe* O v
XI 8. *timore*	*timere* O v
14. *Concotis* *Nectis* L	*M(a)eotis* l N F_2 mg v_2 in ras. *Iniectis* F_1DV (v in mg a rubr.)
post 16 unius versus interstitium. Tit. *De michale* U *De omphale* F	vss. adhaerent prioribus in L D V N

De OMPHALE[NI] v in mg minio pict., NI atramento.

	(U)	(l)
XI 21.	*euphratem* (O) v	*eufraten*
29.	*vexerit* O v	*vexerat*
47.	*tarquinis* U *tarquinii* D V v_2 (*torquimini* L)	*tarquini* N F v_1
63.	*abscissos* D V	*abscisos* F (L) l v *adscisos* N
69.	*memorabat*	*memorabit* O v
XII.	Titulus *Ad Postumum de Galla* O v	*Ad Postumum*
12.	*catophratus* U_1 N F_1 L V_1 *a c* *catophrat*.v (*cataphrat*. U_2)	*cathaphractus* l *cataphractus* D V_2 F_2
14.	*Si credunt* U_1 N *Sic redeunt* V_2 U_2 v	*Si credent* F L D V_1 l (*redeunt* l_2 mg)
25.	*calpe* N F v	*talpe* L F_2 D V
29.	*scithicis* U v (D V)	*sithicis* N l *syticis* F (L)
34.	*lacus* N D V F_2 v	*latreus* l L *latus* F_1
35.	*arcus* N L V_2 F_2 v	*arctus* l *artus* D
XIII 5.	*cauis* O F_2 v *nutrit* U_1 F_2 mg	*canis* F_1 *mittit* O v (*mitrit* U_2)
32.	*viricoloris* N F_1 L v *varicoloris* V_2	*versicoloris* D V F_2 U mg v mg
35.	*hinuli* N D V F mg v	*hinnili* (ex *humili*) l *humili* F L
59.	*aruspex* N L D V v	*auruspex* F
XIV.	*De moribus spartorum*	*Ad Spartas* l *Ad Spartum* (-*en* V_2) O *Ad Spart̄* v
28.	*odoratae* L D V U v (*oderate* F)	*adorat(a)e* N l
XV.	*Ad Cynthiam de lycinna* D V v *Ad C. de licimia* F	*Ad c. de lucina* l *de l.* om L
1.	*Hic* N (rubric.) *ullos* N L V_2 v	*Sic* O v *nullos* F D V_1
7.	*ducitur* O v	*dicitur*
27.	*uago* F D V v	*uaga* N L
XVI 1.	*epistola* N L D (*epl̄a* F)	*epistula* V v

	(U)	(l)
XVI 13.	*oris* O v	*horis* N
14.	^{a}*deo* (recte!)	*deo* O v
17.	*rabies* O v l_2 mg	*facies*
29.	*cumulis* N D v *tumulis* L	*cumulus* F V_1 l *tumulus* V_2
XVII 16.	*Quos* O v *nullae* O v	*Quod* *mille*
XVIII 5.	*dextra* DV(L_1?) *dext'* v	*dexter* N F
9.	*uultum* N L D V F_2 v	*multum* F_1
15.	*uigesimus* O	*uicesimus* v
24.	*torci* U_1 *troci* N	*torui* V_2 F_2
	tor^{u}ci v *torti* F_1 V_1 L D U_2	
XIX 20.	*Infamis* N D V v F_2	*Infantis* F_1 L
24.	*reclusit* O v	^{re}*clausit* (*re* add. m_2)
XXII 1.	*cizzicus* U N F v	*cyzicus* D l_1 (l_2 spscr. *circiter*)
	cirzicus V	*circiter* in ras. L
	annus O U *amnis* D	*ān^{os}* l *annos* F_2 L_2
	annûs v	
XXIII 11.	*fuerint* N (recte!)	*fuerunt* l (*fuerant* O v)
17.	*reperit* O v	*repperit*
XXIV 21.	*Risus* O v *positis* O v	*Visus* V_2 *positus*
29.	*Lumina* N F_2	*Limina* F_1 L D V v

Etiam, quod solam ad rem orthographicam pertinet, multis quidem locis aliam scripturam praebet l, aliam U. Sed haec res parvi momenti est, quod cognoscere non iam possumus, quid fuerit scriptum in fontibus, quid a librariis ipsis mutatum sit. Quare omnes huius modi differentias hic neglegamus! Quaeramus autem, unde illa altera diversitas, quae est inter lectiones Urbinatis et Lusatici, orta sit. In prima dissertationis parte[1]) demonstrare conatus sum auctores Urbinatis et Neapolitani eodem usos esse fonte, ex quo primum codex N, tum, postquam illud exemplar correctoris alicuius manum passum est, U descriptus est. Ex hoc libro equidem Lusaticum quoque dependere contendo. Quid enim obstat, quin textum illius

1) cf. pag. 31 sqq.

exemplaris X, postquam Neapolitani librarius ex eo hausit, identidem mutatum esse existimemus? Nam hoc uno modo explicari potest, cur in U et l aliis locis eaedem, aliis diversae lectiones inveniantur. Omnia igitur, quae et in N et in U l leguntur, iam in codice X fuerunt; ea, quae et U et l dissentientes a Neapolitano[1]) praebent, ex X_2, i. e. ex X primum correcto, hausta sunt. Deinde codex X_2 a correctore quodam (X_3) retractatus a librario Urbinatis descriptus est, simulque ex X_2 alter codex prodiit, in quem aliunde eae lectiones, quae non sunt in U, irrepserunt; hunc autem librum λ is, qui Lusaticum exaravit, adhibuit:



Afferam pauca, quibus haec sententia confirmetur. In versu enim III 1,29 legimus:

pulyledamantes in l,
pulyḷẹdamantẹs (a) in U_1,
poliledamantes in N,
pūli‿ḷẹdamātes in F,

Nonne lectiones Lusatici et Urbinatis ex eodem libro X_2 sumptae esse videntur? In l autem illud *pulyledamantes* integrum ex

1) cf. tab. IX.

λ receptum est, in X_2 manus tertia hoc verbum correxit in *pulylędamantęs* (a superscr.), quod librarius Urbinatis textui suo inseruit.

Tum cf. vs. III 3,30, ubi legitur:

in N *pategeae*,
in l *pategee*,
in U *pa^ne tegęe*; (2) codex F praebet *panetegee* (L_1?),

D *pane tegeae*, V_1 *pane tegee*, quod a m_2 in *pane tegeee* mutatum est. Nonne ex hoc loco optime cognoscitur, unde Lusaticus derivatus sit? Equidem in X *patege(a)e* fuisse censeo, quod descripsit librarius Neapolitani; neque ille, qui primus codicem X correxit, quicquam mutavit, ita ut auctor exemplaris γ et is, qui ex λ hausit, *pategee* repeterent. In X autem a manu tertia supra *pa* litteris *ne* additis lectio codicis F vel potius D restituta est, quam depinxit librarius Urbinatis. Denique afferam vs. III 7,33. Ubi in N et DV *quem* legimus, in l autem lectionem codd. F L *quam* invenimus. Quo modo haec differentia, quae est inter N et l, explicari potest? Inspicias Urbinatis textum, ubi lectio *quem* (a superscr.) (sic!) nobis occurrit! In X igitur primum *quem* scriptum erat, quod receptum est in Neapolitanum; postea a m_2 illud *quem* correctum esse videtur in *quęm* (a superscr.), quod punctum neglegens librarius Urbinatis repetivit; in Lusaticum autem pro lectione genuina *quem* illa coniectura *quam* venit. Alia exempla, quibus iudicium, quod feci de Lusatici origine, comprobetur, exstant his locis:

III 1,11.	*currum* l N L *currum* U *currū* v	*curru* F D V
5, 6.	*ęra* U(F_2) *aera* l v *aere* N	*ire* F L D V
5,24.	*Sparserit et integras* N l *Sparsęrit et integras* U *Sparsęrit & integras* v	*Sparserit int.* D V *Sparsit int.* F L
5,34.	*atratis* N v (L) *atratis* (c superscr.) l *atratis* (t c superscr.) U	*attractis* O (*c* exp. a F_2 et V_2)

III 5,46.	*haud* U l v *haut* N	*aut* O
6, 3.	*Non* N *Num* U l v	*Dum* O
	(cf. vss. III 5,42. 43, ubi quater N scripsit pro ‚*num*' ‚*non*')	
7,49.	*orythia* N v *orithia* U *orithya* l	*corythia* D V (L) *corinthia* F
10, 6.	*Ponet* N L F_1 l	*Ponat* D V F_2
	Ponẹt U *pond:* v (a, at supra)	
10,31.	*thalamo sollēpnia* N *thalamo solempnia* l *thalamo solen(m)nia* U v	*thalamo et solemnia* FLDV (V_2 del. *et*)
11,61.	*Curius* N U v *Curtius* l V_2 mg (*Curcius* F_2)	*Durius* F L D V

Unde autem in illud exemplar λ, quod fontem Lusatici fuisse statuimus, eae lectiones, quae diversae sunt ab U, venerint, intellegere non iam possumus. Nonnullas ex X sumptas esse inde apparet, quod in Neapolitano eaedem vel similes his locis leguntur, velut in

III 3, 2.	*Belloforontei* l *elloforontei* N	*Bellorophontei* U F *Bellorofont(a)ei* D v *Bellorofontẹi* V
10,15.	*Dein qua* l N v F_2 mg V_2 U_2	*Deniq;* U_1 F D pro v. l. *Te qua* L D V
11,14.	*M(a)eotis* l N F_2 mg, (m_2 in ras.) v	*Concotis* U *Nectis* L *Iniectis* F_1 D V, (in mg a rubr.) v
12,29.	*sithicis* l N *syticis* F(L)	*scithicis* U v *scythicis* D V
14,28.	*adorat(a)e* l N	*odoratae* L D V U v *oderate* F
16,13.	*horis* l N	*oris* F L D V U v

Hic igitur in X a m_2 correcturas vel coniecturas factas esse verisimile est, quae nunc inveniuntur in Urbinate. Plurimis tamen locis, quibus differentia exstat inter U et l, cum U cum Neapolitano faciat contra l, lectiones Lusatici vel codicis λ ex exemplari aliquo, quod classi y attribuendum est, haustas

esse apparet. Sed de hoc fonte nihil certi dicere possumus, quod Lusaticus modo consentit cum F L, modo cum D V. Denique nonnulla fortasse librarii errore orta, alia consulto ab illo correcta sunt; nam suam quisque scribendi rationem illis temporibus adhibebant, qui veterum poetarum carmina literis consignaverunt. Hoc igitur modo Lusatici textus ‚compositus est', non quo Koehler docuit, qui etiam singulorum verborum alteram partem ex x, alteram ex y receptam esse putat, quam sententiam recte improbavit Heukrath in dissertationis pag. 58.

Priusquam, quale pretium illi libro commixto tribuendum sit, quaero, de Vaticani 3273 origine pauca dicam. Qui codex ab omnibus fere viris, qui de codicibus Propertianis disseruerunt, plane neglectus est, ea de causa scilicet, quod auctoritatem eius minimam esse iis persuasum erat. Hoc modo accidit, ut neque Koehler neque Heukrath in dissertationibus ullum verbum de eo facerent. Etiam Hosius, qui in Mus. Rhen., quod inscribitur, tomo 46. inde a pag. 580 accuratius de Urbinate disputat, Vaticanum parvi aestimare videtur, cum non nisi paucis eum attingat. Neque certum iudicium ille de eo facit. Nam in libro commemorato Vaticanum ex U fluxisse verisimile esse dicit, in praefatione editionis inde a pag. X eum fortasse (sic!) consanguinitate coniunctum esse cum Lusatico scripsit. Quae cum ita sint, de origine et pretio illius codicis, ad quem Hosius ipse oculos animosque omnium advertit, denuo agendum esse puto.

Caput. II. De codice Vaticano 3273.

Codicem Vaticanum 3273 artissime cohaerere cum Urbinate nullo modo negari potest. Tantus enim est numerus earum lectionum, quae eaedem vel similes sunt in hoc atque in illo, ut vix alii codices Propertiani inveniantur, quorum consensus maior sit. Cf. tabulas inde a pag. 62 propositas. At tamen Vaticanum ex ipso Urbinate derivatum esse nego ea de causa,

quod inter hos libros nonnullis locis differentia quaedam non modo litterarum singularum, sed etiam totorum verborum exstat. Dissentiunt autem inter se, ut exempla ipsa afferam, U et v in libro III. ita:

	U.	v
II 1.	*detinuisse* U N L l V_2	*detenuisse* v V_1 *te tenuisse* D F (ex *deten.*)
4.	*in muri* (recte!) U D V l v_1 mg p. v. l.	*ĩ numeri* v *in numeri* N L *ĩmineri* F
III 30.	*pa*^{ne} *tegęe* (2) U *panetegee* F *pan tegeee* V_2 *panetegeae* D *pan ≡ tegee* V_1	*pategee* l v *patege(a)e* N L_2 V_2 mg
32.	*punica* (recte!) F D l	*pumica* (*nu*) v *pumica* N L *pu ≡ nica* V
	rostra V_2 l F_2 v_1 mg (recte!)	*ñra* v *nostra* N D F_1 L V_1
V 5.	*aratur* (recte!) O l	*aratra*
VI 30.	*uicta* F	*uitta* l D V (recte!) *uita* N L
VII 62.	*est* om. U	*est* O l
IX 10.	*chalamis* (melius!)	*calamus* O l
14.	*At* (recte!)	*Ad* O l
33.	*iuncta* F L D V l (recte!)	*uincta* v *uicta* N
X.	Titulus deest in U	*De niobe* O l v
XI 8.	*timore*	*timere* O l (recte!)
	post 16 *De michale* U	De OMPHALE (NI) v *De omphale* F
XII 31.	*(a)eac* U l N F L	*aeeae* v *caee* V_1 *aeaeae* D V_2
XIII 26.	*quorum* (recte!) N F_2 l	*quarum* F_1 L D V
41.	*Diique* F D V l	*Dique* N
XIV.	Tit. *De moribus spartorum*	*Ad Spart̄* v *Ad Spartas* l *Ad Spartum* (*-en* V_2) O
XV 1.	*Hic* N	*Sic* F L D V (recte!)
XVI 25.	*Dii* F L D V_2 l	*Di* N V_1

(U)	(v)
XVII 8. *ariachra* (sic!) U, ex *ariadna* corr.	*adriagna* N v v mg *dna* *ariadna* l D V *adriana* F L
XVIII 15. *vigesimus* O	*vicesimus* l
XXII 2. *qu(a)e* N F L l	*qua* D V *quaę* v (bene!)
XXIII 10. *promeruere* O	*permeruere*
11. *fuerint* N (recte!)	*fuerant* F L D V v *fuerunt* l
XXIV 29. *Lumina* N F_2	*Limina* F_1 L D V l (melius!)
XXIV 33. *tum* N F_2 l (recte!)	*tu* v (*cum* F_1 L D V)

Ex hoc indice apparet in quibusdam versibus meliores lectiones exstare in v quam in U, velut in III 6,30. 7,62. 22,2. 24,29., ad quas certo, si quis accurate duorum codicum textum inspexerit, alias addere poterit. Quas omnes sive ex aliquo ceterorum codicum sumptas sive ex ingenio ipsius librarii ortas esse iis existimandum est, qui v ex U recta via descriptum esse sibi persuaserunt. At ego aliter de hac re iudico. In Vaticano enim nonnullas lectiones invenimus, quae cum deteriores sint iis, quas U aliique codices praebent, textus emendandi causa profecto non a librario receptae sunt. Immo falsae et ineptae, quae explicari non possunt, compluribus locis nobis occurrunt, quarum partem hic proponam:

III 2, 4. *in numeri* v N l	*in muri* U l D V (v_1 mg p. v. l.) (recte!)
3,30. *pategee* v l (N)	*pa^ne tegęe* U (2)
32. *ñra* v *nostra* NF_1LDV_1	*rostra* l $F_2$$V_2$U ($v_1$ mg p. v. l.) (recte!)
pumica (nu) v *pumica* N L	*punica* F D l (V) U (recte!)
9,10. *calamus* O l v	*chalamis* U (recte!)
14. *Ad* O l v	*At* U (recte!) v mg a m?
23,11. *fuerant* F L D V v *fuerunt* l	*fuerint* N U (recte!)

Quid ex his tabulis discimus? Permultas ex iis codicis v lectionibus, quarum facies, ut ita dicam, sententiaque depravatae sunt, in Neapolitano reperimus, velut in vss. III 2,4, 3,30 et 32, 13,19, 17,8, plurimae autem eaedem vel similes sunt atque quas U et l continent. Quid igitur obstat, quin Vaticanum ex eodem fonte, quo auctores Urbinatis et Lusatici usi sunt, prodisse existimemus? Sed cum propius absit v ab U et l quam ab N, ex illo codice X_2, i. e. ex X primum correcto eum fluxisse contendo. Quae sententia his argumentis confirmari potest:

In carminis III 1 versu 32 legimus

in N *oete in*,

in v *oetein* (sic!),

in U *oetem* (sic!)

in l *oetei*, quod praebent DV quoque et F_2.

Mihi quidem in X primum *oete in* fuisse videtur, quod incolume librarius Neapolitani textui inseruit; deinde illud *oete in* a X_2 in unum verbum contractum litteraque *n*, cum explicari non posset, puncto deleta est. Et recte librarius Lusatici fontis λ descripsit *oetei*, in v tota codicis X_2 lectio recepta est, Urbinatis autem auctor, cum illud *in m* esse putaret, lectionem ineptam *oetem* tradidit. Tum cf. vs. III 5,24, ubi invenimus

in N l *Sparserit et integras* *Sparserit int.* D V

in U *Sparserit et integras* *Sparsit int.* F L

in v *Sparserit* & *integras*.

Nonne illud *Sparserit et integras*, cum classis y codices aliam lectionem praebeant, iam in X fuisse verisimillimum est? Fortasse verbum *Sparserit* a manu X_2 punctis sub litteris *er* positis in *Sparserit* correctum est, quod integrum et in Urbinatem et in Vaticani textum irrepsit. Is autem, qui fontem Lusatici exaravit, sive quod signa illa addita neglexit, sive quod consulto nihil mutavit, *Sparserit* textui inseruit. Itaque non est, cur ex U lectionem Vaticani haustam esse putemus. Tertium, quo

sententia mea nitatur, exemplum in eiusdem elegiae versu 34 extare censeo. Hoc loco in singulis codicibus tradita sunt haec:

in N L v *atratis,*

in l *atr[c]atis* (sic!) (*c* a m_1 add.)

in U *at[t]r[c]atis* (et *t* et *c* a m_1 add.); ceteri codices habent *attractis,* F_2 et V_2 litteram *c* puncto deleverunt. Videmus igitur solum codicem v consentire cum N L, in U ab eadem manu, quae *atratis* scripsit, litteris *t* et *c* adiectis librorum F_1 D V_1 lectio orta est, Lusaticus quasi mediam scripturam praebet. Quo modo haec res explicari potest? Equidem non dubito, quin et U et l v etiam hoc loco eodem fonte usi sint. In X enim legebatur *atratis,* quod nunc reperimus in Neapolitano et Vaticano. Hoc idem verbum in exemplaria, ex quibus prodierunt U et l, receptum esse existimo. Quod autem in U l alia lectio nobis occurrit atque in v, correctorum manus amborum codicum fontes passos esse non obliviscendum est. Multa exempla similia iis, quae attuli, illorum numero addi possunt, quorum partem hic afferam:

III 7,33.	*qu[a]em* U *quam* l F L v (mg *quē*)	*quem* N D V
49.	*orythia* N v *orithya* l *orithia* U	*corythia* D V L *corinthia* F
10, 6.	*Ponet* N (F_1 L) *Pon[a]ẹt* U *Pon[at]&* v	*Ponat* l (D V_1 F_2)
31.	*thalamo sol(l)e(p)nia* N U l v	*thalamo ẹt solemnia* F L D V (V_2 del. *et*)
11,59.	*monimenta* N U l *mon[u]imenta* v	*monumenta* F L D V
12,11.	*mędae l(a)etentur* N L v *mede laetentur* l F_2 *medę*(2) *lętentur*(2) U	*me delectentur* F_1 *med(a)e latentur* DV

III 12,12. *catophratus* N (F_1 L V_1) U *cataphractus* D V_2 F_2
a c
catophratus v *cathaphractus* l
u
18,24. *torci* U_1 *torci* v *troci* N *torui* F_2 V_2 l
(*torti* U_2 D L F_1)
22, 2. *qu(a)e* NFLl *quę* U *quaę* v *qua* D V

Complures igitur, quae in v nobis occurrunt, correcturas iam in X a m_2 factas esse verisimile est, velut in III 10,6 *Ponęt* (*a* supra). Tum illius codicis, qui fons fuit Vaticani, lectionum pars ab aliquo viro emendata est; nonnullae fortasse a librario codicis v inter scribendum sive casu sive consilio mutatae sunt. Denique in Vaticano ipso alteram manum versatam esse cognoscimus. Sic igitur factum est, ut nunc v ab U et l aliquoties discedat. Illi autem, qui textum Vaticani vel fontis eius correxerunt, non omnia, quae in ceteris codicibus inveniebant, in illum receperunt. Inveniuntur enim ut in Urbinate ita in v lectiones, quae diversae sunt ab O, quarum alteram partem iam supra[1]) proposui, alteram hic afferam. Eas res, quae solam ad orthographiam pertinent, omittendas esse putavi. Differentiae inter O et v exstant his locis:

In libro I.

v	O
II 9. *submittit*	*submittat* O U (melius!)
X 20. *aeger*	*egit* O U (recte!) *eget* F_1
XIII 21. *solamonida*	*salmonida* UDV *salam.* NA *salom.* F
XVIII 16. *deiectis* (*l* supra)	*delectis* NV_2 *delęctis* U *dilectis* FDV_1

In libro II.

I 10. *premit*	*premat* U (recte!)
35. *contexeris* (falso!)	*contexerit* U
III 17. *formosae*	*formose* U (recte!)
19. *tentant*	*ten(mp)tat* O U (recte!)
VI 8. *ferunt*	*ferant* U (recte!)

1) cf. pag. 75 sq.

(v)	(U)
XIII. *De amore suo*	*De amore* O *Ad Cynthiam* U
11. *iuvat* v	*iuvet* U
37. *Hoc*	*Non* D V (v mg!) *Nec* N F U
XVI 50. *Fluminaque*	*Fulminaque* U (v mg!)
55. *te*	*ne* U (*neç* v mg!)
XX 10. *modo* D mg, V_2 mg	*domo* U
XXVIII 5. *nec*	*non* U O (V spscr. *n*[c])
8. *iuratur*	*iurarunt* OU (V_2 spscr. t̃) *iurarem* N
XXX 15. *onerentur*	*onerantur* O U (*ornentur* V_2 mg)
19. *iam* V_2 mg N_2 mg	om. F_1 *tu* F_2 D V L *tamen* N
30. *uolarit* V_2 N_2	*uolaret* U O (*-res* L)
XXXII 21. *fama et*	*famae* O U (v in mg) *fama* N
27. *deprehenso*	*deprenso* O U

In libro III[1]).

V 38. *partis*	*partes* U
VI 21. *Illa*	*Ille* U (v mg)
56. *Antonique* (V_2)	*Antoniique* U
XI 65. *di*	*dii* U
XII 14. *Sic redeunt* (V_2) *Si çredeũt* (*ũ* m_2 ex *n*) U	*Si credent* F L D V_1 *Si credunt* N
XVIII 9. *Bis*	*His* O U (recte!) (*Hiis* F)

In libro IV.

I 79. *Di*	*Dii* U O (*Dic* N)
IV 42. *stamina*	*st(r)amine* O U (recte!)
VI 25. *nereus* U_2 mg F_2	*nervis* O U_1
VIII 81. *leges*	*legem* U
X 40. *palma*	*parma* U (recte!)

Multo minor est numerus lectionum singularium, i. e. earum, quas codices O non praebent, in v quam in Urbinate, neque mira haec res est, cum identidem et illius libri fontes correcti

1) cf. tab. in pag. 75 sq. propositas.

sint et librarius ipse alio fortasse quodam exemplari adhibito non pauca mutavisse vel addidisse videatur. Compluribus autem locis lectiones, quas varias appellamus, annotatae sunt a manu priore sive super textum sive in mg., nonnullos errores inter describendum ortos manus posterior (v_2) emendavit. Etiam rubricator quibusdam in versibus versatus est, velut in II 29,40, ubi verbi *saxa* prima littera ab eo expuncta et supra *s l* addita est, et in III 5,11, ubi in textu legitur *mortem*, in mg. autem ille annotavit *noctem*. Difficillimum igitur cum sit cognitu, quae codicis Vaticani 3273 lectiones sint genuinae, quae sint adventiciae, quod interpolationibus hic liber abundantior est quam ceteri, de quibus hoc loco agitur, codices commixti, Urbinas et Lusaticus, ad textum carminum Propertii restituendum ne ad hunc quidem confugiemus. Sed iam redeamus ad Lusaticum! De pretio enim illi codici tribuendo disputandum est.

Caput III. De Lusatici auctoritate.

Videamus primum, quanta auctoritate l apud singulos, qui de eo disseruerunt, viros valeat! Peper, cum classis x testem sincerum eum esse putet, Lusaticum Neapolitano vix inferiorem esse contendit. Neque Postgate eum, quamvis sit ‚a conflated codex', plane neglegendum esse censet. Ille enim, cum l propius abesse a familia y quam ab x existimet, omnibus iis locis, ubi L et A, qui cognatione sunt coniuncti cum F, desunt, lectiones Laurentiani codicis l lectionibus quasi firmari docet. Praeterea fortasse nonnulla, imprimis orthographica, quae depravata sint in F et L, genuina atque vera (‚a few vestiges of truth') in l tradita esse dicit. Quam sententiam ea de causa non comprobo, quod Lusaticus multo saepius facit cum Neapolitano quam cum F, ita ut ex hoc libro cognosci non possit, quales lectiones fuerint in Φ. Maiorem autem, ut ita dicam, honorem quam Postgate Koehler codici

l habet, quamquam ipse concedit eum inter codices commixtos esse numerandum. In Phil. tom. 64[1]) enim haec legimus:

Mein Urteil über den Wert der Handschrift ist demnach folgendes: Der Lusaticus bietet zwar die meisten richtigen Lesarten, trotzdem kommt er dem Neapolitanus an Wert nicht gleich, da er wesentlich jünger ist und diese seine Überlegenheit der Compilation aus zwei Vorlagen verdankt. Diese Vorlagen müssen aber recht gute gewesen sein, wie unter anderem auch aus den richtigen Singulärstellen zu ersehen ist. Vermöge der Vereinigung der Vorzüge beider Handschriftenklassen ist der l am besten imstande, mit N die Grundlage für den Properztext zu bilden; denn selten nur ist es nötig, zu Lesarten der übrigen Handschriften seine Zuflucht zu nehmen, so z. B. an den Stellen, wo N fehlt. Also wenn auch keine hervorragende Originalhandschrift, ist l doch **eine recht brauchbare Textquelle, deren Wert für die Kritik nicht zu unterschätzen ist.**

Hoc iudicium, quo magna Lusaticus laude effertur, renovavit Heukrath, qui in diss. pag. 62 omnia, quae Koehler scripsit, quasi tuetur; neque discedit ab illorum virorum sententia P. Rasi[2]), qui ‚omnium praestantissimum Lusaticum esse' contendit ‚post Neapolitanum, quo socio optime valeat ad textum Properti statuendum'.

Videamus primum, quid de iis lectionibus, quas ‚singulares' appellavit Koehler, iudicandum sit! In dissertatione enim inde a pag. 13 sqq. ille omnes eos locos enumerat, quibus Lusaticus solus rectam lectionem servaverit, idemque in philologi tomo commemorato[3]) annotat ea, quae non nisi in l legantur, et ea, quae non in l solo exstent, sed etiam in aliis codicibus a manibus posterioribus addita sint. Ex quibus lectionibus Heukrath in dissertationis pag. 58 eas affert, quae ‚in optimis codicibus non inveniantur'. Quos autem libros Heukrath

1) cf. pag. 416/17.
2) cf. Riv. di fil. tom. anno 1906 ed. pag. 454.
3) cf. pag. 416.

optimos esse putat? Certo neque Urbinatem neque Vaticanum eorum numero ascribit. Nam in his exemplaribus non pauca, quae quasi propria esse Lusatici et ille et Koehler docent, nobis occurrunt. Quare denuo omnes illas lectiones ‚singulares' hic proferam simulque eas, quae in U et v traditae sunt, addam, quarum partem iam Hosius[4]) collegit. Neque neglegam eos versus, ubi in O a manibus recentioribus correctura orta vel apposita sunt, quae manus$_1$ Lusatici dissentiens a ceterorum codicum librariis scripsit. Loci, quibus Koehler in l solo rectam lectionem exstare contendit, sunt hi:

In libro I.

	l	
3, 7.	*spirare* N_2 mg $F_2 V_2$ U v	*sperare* O
9, 4.	*quovis* V_2	*quaevis* O U v
11, 1.	*Ecquid* $F_2 V_2$ U v	*Et quid* O
18,16.	*deiectis* l *deiectis* v	*delectis* N V_2 *delectis* U *dilectis* A F D V
20, 4.	*minuis*, sed corr. in *minius*. *minyis* V_2 mg	*miniis* N *nimius* V corr. *minuis* A F V_1 U v *minimus* D

In libro II.

6, 5.	*deletas* l $F_2 V_2$ v mg *delectas* U	*delectas* O v in textu
18,16.	*memnone* V_2 corr; N corr; v	*mennone* O U
28,26.	*ueniet* V_2	*uenit* O U v
35.	*rhombi* V_2 mg U v	*bōbi* N *rumbi* D V *nībi* F *rōbi* F_2 L
31, 3.	*columnis* $F_2 V_2$ mg v mg	*columbis* O U v

In libro III.

1,22.	*reddet* $F_2 V_2$ U v	*reddit* O
3,32.	*rostra* F_2 V corr. U v mg	*nostra* O *ñra* v

4) cf. editionis praef. pag. X.

(l)

5, 6.	*era* l *ęra* U *aera* v	*aere* O *ire* LFDV. v pro y. l.
6, 3.	*Num* U	*Non* N *Dum* F L D V v
26.	*rhombi* V corr. U v	*bombi* N *rumbi* F L D
41.	*Quod mihi si* U v F_2V corr.	*Quod nisi et* N *Quid mihi si* F_1 L D V_1
9,14.	*miros* D mg pro v. l. LU v	*muros* N *nuros* FDV *myros* v mg (non manus solita)
10,17.	*polles* F_2V corr U v	*pelles* O
11,61.	*Curtius* V_2 mg (F_2 mg)	*Curius* NU v *Durius* F_1LDV_1
16,13.	*ambulet* V corr. U v	*ambulat* O
22, 1.	*annos* F_2 corr. L U_2 *ann*$\overset{o}{u}$*s* v	*annus* N F V U_1 *amnis* D
23.	*Clitumnus* F_2 U_2 v_1 mg	*litumnus* NU_1 v *liciminus* D (om. F) *liciinus* (*in* in ras.) V; *licīnnus* L

In libro IV.

1,79.	*Di* v	*Dic* N *Dii* F D V U
106.	*Umbra ue que* l *Umbra* $\overset{nec}{neque}$ U *Umbrane quę* N v (v mg *neq; e*)	*Umbraque ne* F L D V
3, 7.	*bactra* V_1 in ras. U v Nom.	*blactra* F_1 L D (V)
6,25.	*nereus* v U_2 mg F_2	*neruis* O U
7,63.	*Andromedeque* l *Andromedęque* U v	*Andromad(a)eque* D V; F L *Andromedaeque* NV_2
[11,17.	*innoxia*	*non noxia* O U v]
11,29.	*trophea decori* U v (Nom.)	*decora trophei* F L D V
N def. { 43.	*Non fuit* F_2V_2 mg U v	*Confuit* D V *Ton fuit* F L
46.	*insignes* et F et V corr. U v	*insignem* D L

Intellegimus ex his tabulis plurimas bonarum lectionum, quas codex l dissentiens ab O praebet, sive in U sive in v, libris Lusatico quasi cognatis, traditas esse. De quibus conferas,

quae supra[1]) annotavi. Restant hae bonae Lusatici lectiones, quae neque in U v neque in O a manibus primis scriptae sunt:

I 9, 4. *quovis* V_2 l	*quaevis* O U v
20, 4. *minuis*, quod tamen correctum est ab eadem manu in *minius*, lectionem codicum A F U v	
II 28,16. *veniet* l V_2	*venit* O U v
III 11,61. *Curtius* l (F_2)V_2 mg	*Curius* N U v *Durius* F_1 L D V_1
IV 1,106. *Umbra ue que* l	*Umbrane quę* N v (v mg *neq; e*) *Umbra neque* (*nec*) U *Umbraque ne* F L D V
7,63 *Andromedeque* l	*Andromedaeque* N V_2 (U v) *Andromad(a)eque* D V; F L

Harum autem lectionum dimidia fere pars etiam in V aut F, quamvis a manu recentiore scripta, nobis occurrit, ceterae non tam diversae sunt ab iis, quas reliqui codices sive omnes sive nonnulli continent, ut ad locos corruptos sanandos ex l remedia depromi necesse sit. Accedit, quod diiudicare non iam possumus, utrum ea, quae singularia sunt in L et U v, genuina an ex coniecturis virorum doctorum orta sint. Koehler[2]) quidem ‚magni pretii' illas lectiones esse contendit, cum et F_2 et V_2, quae saepe consentiant cum Lusatico, non modo correcturas exhibeant, sed etiam veras lectiones ex archetypo ipso sumptas servaverint. Sed haec sententia certis argumentis confirmari nequit. Id unum autem mihi versimile esse videtur omnibus iis locis, quibus aut U et v cum Lusatico consentiunt aut U vel v solus cum l contra ceteros codices stat, iam in fonte communi, quem nota X_2 designavimus, lectiones rectas exstitisse. Ubi fortasse ab initio nonnullae inveniebantur, ita ut librarium Neapolitani, quem eodem exemplari X usum esse ostendi, his locis erravisse putandum sit. Fortasse, qui primus codicem X correxit, omnium auctor est. Mihi quidem aliunde eas in X illatas esse persuasum est, cum non modo in N, sed etiam in

1) cf. pag. 53 sqq.
2) cf. diss. pag. 64.

familiae y codicibus falsa illis locis tradita sint. Quod autem ad pretium Lusatico tribuendum pertinet, laudo sententiam iudiciumque Postgatii, qui, postquam tabulas a Koehlero institutas ipse protulit, nullam fere rectam lectionem codicis l quasi propriam in iis esse docet. Deinde, ut ad rem orthographicam animos advertamus, ne iis quidem locis, quibus Lusatici scripturae maiorem fidem habendam esse Koehler[1]) putat, cognosci potest, utrum in l an in O vera et genuina servata sint, velut in I 17,2, ubi in l *adloquor*, in O *alloquor* legitur, III 6,17, ubi *Umidaque* exstat in l, *Humidaque* in ceteris. Tum paucis agendum esse censeo de ‚lectionibus singularibus' depravatis, quas Koehler accurate et diligenter collegit et in diss. pag. 14 sqq. enumeravit. Ex quibus nonnullae in U (v) quoque nobis occurrunt, velut II 6,8 *iura* in U et v, II 10,7 *ueteres* in U, quamquam postea correctum est, ibd. 16,50 *Fluminaque* in textu codicis v, II 29,18 *facit* in U, sed ab eadem manu in *fācit* mutatum, aliae. Has igitur lectiones non errore eius, qui Lusatici ipsius textum scripsit, ortas esse, sed iam in fonte fuisse verisimile est. Plurimarum illum virum quasi auctorem esse non negaverim.

Interpolationes statuendas esse Koehler dicit his locis:

I 8,19.	*pervectam* l	*praevecta* N A F U v *provecta* D V
II 1,51.	*Si* l	*Seu* cett. U v
III 18,4.	*Stracta* l	*Structa* O U v
IV 1,65.	*asis si quis* l (*asis* U, v mg) *si quis* V_2 mg	*quasuis* F L *quisquis* N D V
8,69.	*postratus* l U v	*protractus* O
10,18.	*aprico* l U v F_2 V_2	*a porco* D V_1 (L F_1)

Ex quibus lectionibus Heukrath[2]) duas interpolatas esse concedit, I 8,19 et IV 8,69, de ceteris autem Koehlerum falso iudicasse contendit. Lectiones enim, quae exstent in II 1,51 et IV 1,65, casu ortas esse, in III 18,4 librarium erravisse,

1) cf. diss. pag. 17. 2) in dissert. pag. 59 sqq.

quartam ‚interpolationem' ex fonte Lusatici sumptam esse demonstrare conatur. Quae sententia mihi non omni parte recta esse videtur. Primum, quod attinet ad versum IV 8,69, etiam in U et v *postratus* legitur, ita ut hanc lectionem non ab eo, qui exaravit Lusaticum, inventam esse, sed iam in fonte codicum communi X, fortasse in Ω ipso, exstitisse appareat. Eodem modo verbum *aprico*, quod Heukrath ex ‚x¹' sumptum esse contendit, ex illo exemplari a librario Lusatici repetitum esse existimaverim. Tum, quod de origine lectionis, quae est in versu IV 1,65, *ạṣịṣ si quis* Heukrath iudicavit, non comprobo. Ille enim oculos librarii, cum in versu 125 verba *Scandentisque asis*, in vs. 65 *Scandentes si quis* inveniret, a versu 65, qui primus fuisset alterius paginae alicuius folii, in versum 125, unde sequentis folii pagina altera coepisset, ‚proprio motu folio ipso verso' aberrasse, sed, postquam vox *asis* in textum recepta esset, statim errore cognito eum punctis illud verbum delevisse recteque verbis *si quis* sqq. scripturam continuasse in diss. pag. 59 sq. docuit. Inde igitur tricenos versus singulis paginis eius exemplaris, ex quo l descriptus sit, tribuendos esse Heukrath concludit. Sed qua de causa Lusatici librarius, si a vs. 65 ad vs. 125 casu quo, miro scilicet, oculi eius conversi sunt, syllabam *que*, quae adhaeret illi alteri *scandentis*, omisit? Deinde, cum in Urbinate quoque hoc loco *asis* nobis occurrat, alio modo lectionem *Scandentes ạṣịṣ si quis* ortam esse mihi persuasi. Equidem in illius exemplaris, quod X appellavimus, textu *Scandentes asis* fuisse, in mg. autem vel supra versum *si quis* ab aliquo viro corrigendi causa additum esse censeo. Librarius Urbinatis, quem, quae in fonte inveniebat, quasi depinxisse ostendi, solam lectionem *asis* quamvis ineptam repetivit. In Lusatici textum utraque lectio irrepsit, sed postea *asis* suppunctum est. Auctor Vaticani vel is, qui fontem eius exaravit, verba *si quis*, quae propius absunt a *quisquis*, textui inseruit, illud *asis* in mg. addidit. Quo autem modo in X vox *asis* orta sit, nec diiudicari potest nec cognosci necesse est[1]).

1) cf. Koehler, diss. pag. 66.

Lectionem quoque *prostratus*, quae exstat in versu IV 8,69, ubi ceteri codices praebent *protractus*, cum non modo in l, sed etiam in U et v occurrat, non a librario Lusatici, sed iam antea inventam esse iis existimandum est, qui interpolationem eam esse sibi persuaserunt. Mihi quidem, cum in Neapolitano hoc loco idem legitur quod in classis y codicibus, non *prostratus*, sed illud *protractus* in O traditum genuinum esse videtur. De ceteris interpolationibus cf., quae Heukrath scripsit in dissertationis paginis 59 sequentibus.

Denique Koehler in diss. pag. 18 nonnullas lectiones, quas dubias appellat, affert primumque eos locos enumerat, ubi et in Lusatico et in ceteris libris inveniantur, quae comprobari possint, velut

II 9,27.	*circumstaremus* l (U)	*circum staremus* O v
13,27.	*sequaris* l	*sequeris* O U v, quod praeferendum sit
IV 7,71.	*moneris* l	*moueris* O U v
11,17.	*innoxia* l	*non noxia* O U v

Quibus locis Koehler adiungit eos, ubi neque in O neque in l rectae lectiones exstent:

II 13,47.	*Qui* l F_2 (quod propius absit a vero)	*Quis* O U v
ibd. 31,5.	*quidem* l	*equidem* N F L V_2 U v *eadem* D V_1; ubi, cum *quidam* flagitetur, in l vera scriptura lateat.
IV 11,30.	*Eranumantinos* l (F_2V_2 mg) *Era numantinos* Uv	*Et numantinos* L D V (F_1 N om.)

Videamus, quid de singulis eius modi lectionibus iudicandum sit. Primum illud *circumstaremus*, quod etiam in Urbinate legitur, non prorsus in hanc tabulam recipi debebat, cum, quod Koehler ipse commemoravit, idem valeat atque verba *circum staremus* in O et v tradita.

Quod autem pertinet ad versum II 13,27, lectio Lusatici non dubia, sed falsa nominanda est. Futuri enim indicativum

hoc loco a poeta positum esse cum ceteri codices quasi testantur tum ex eo cognoscimus, quod brevi post in vs. 29 Propertius *pones*, non *ponas* scripsit.

Etiam in IV 7,71. librarium Lusatici, quippe qui lectionem ab iis, quas O et U v praebent, diversam inseruerit, erravisse puto, quamquam vox *moneris* sententia hic non plane caret.

De quarto exemplo supra allato paulo accuratius mihi agendum esse arbitror, quod Koehler, cuius iudicium Heukrath[1]) quoque comprobat, in diss. pag. 73 sq. lectionem Lusatici meliorem esse quam ceterorum codicum demonstrare conatus est. Ille enim sententiam Birtii[2]) secutus *non sanus*, *non certus*, *non firmus* similia pro *insanus*, *incertus*, *infirmus* similibusque verbis non nisi iis locis a poetis usurpata esse docet, ubi vocalis aut syllaba brevis — scilicet quae vocali sequenti corripiatur — antecedat, exemplaque ex Ovidii et Horatii carminibus sumpta affert, quibus haec res illustretur. Itaque, cum in versu illo Propertiano ante *innoxia* longa syllaba sine hiatu legatur, *non noxia* a sermone poetarum abhorrere Lusaticique lectionem genuinam esse contendit. Re vera apud illos scriptores hanc legem observatam esse cognoscimus, sed non video, cur alienam provinciam, ut Lusatici lectionem defenderet, Koehler adierit. Propertius enim ipse solis iis locis, quibus vocalium concursum vitari oportebat, voce *non* pro *in* syllaba neganti usus est. Tria, ex quibus haec res apparet, exempla congessit Pfeiffer[3]): primum quod exstat in I 1,26: *Quaerite* ***non sani*** *pectoris auxilia*, alterum in I 3,8: *Cynthia* ***non certis*** *nixa caput manibus*, tertium in III 15,8: *Candida* ***non tecto*** *pectore siqua sedet*. Accedunt hi versus, ubi Propertius illud praeceptum servare coactus erat, II 29,13: *Haec te* ***non meritum*** *totas exspectat in horas*, III 15,43: *At tu* ***non meritam***

1) cf. diss. pag. 64.

2) Birt, De halieuticis. Berolini 1878, p. 25.

3) G. Pfeiffer, Quibus legibus Non et Haud particulae apud poetas Romanos ... positae sint. Diss. Marpurgi 1908, pag. 20.

parcas vexare Lycinnam. Etiam in versu III 22,37, qui est *Árboreásque crucés Sinis ét non hóspita Gráis* solam ob eam causam rarior forma a Propertio posita est, quod, si verbum *inhospita* textui inseruisset, contra leges metricas commisisset. Ceteris autem omnibus locis, quibus *non* quoque hexametro includi potuit, vox privativa *in* nobis occurrit, velut in II 16,39: *Hunc* ***insanus*** *amor versis dare terga carinis*, II 27,1: *Et vos* ***incertam,*** *mortales, funeris horam*, in versu IV 3,69: ***Incorrupta*** *mei conserva foedera lecti.* Quae cum ita sint, mihi quidem persuasum est rectam esse sententiam eorum, qui Lusatici lectionem *innoxia* meliorem esse quam, quae in ceteris codicibus legantur, docent. Neque enim fuit, quod poeta adiectivum quasi cotidianum fugeret insolitamque dictionem adhiberet.

Postremo inspiciamus eos versus, in quibus et in O et in l plane rectam lectionem exstare Koehler negat! Certo, quod in vs. IV 11,30 Lusaticus praebet, propius abest a vero, quam quae in ceteris libris hoc loco inveniuntur. Nam illud *Afra Numantinos* a Scaligero coniectum, quod optime ad sensum quadrat, facile ex *(A)era n.* restitui potuit[1]. Quod autem etiam in Urbinate et Vaticano Lusatici lectio *Era numantinos* invenitur, iam in codice X *Aera* vel tale aliquid fuisse apparet; sed ne hoc quidem loco ad codices deteriores confugere oportet, cum et in F et in V a manu altera meliorem scripturam *Era* pro *Et* in mg. annotatam videamus.

Quod autem Koehler ea, quae in II 13,47 et II 31,5 Lusaticus praebeat, propius a vero abesse quam ceterorum codicum lectiones docet, falsam eius sententiam esse censeo. Primum in II 13,47 Rothstein[2], cum exclamationem a poeta positam esse demonstraret, illud *quis minuisset* idem esse atque *utinam aliquis minuisset* contendit. Quae sententia si in isto versu latet, Lusatici quoque lectio *qui* defendi potest, quo adverbio idem hic illic significari ac voce Graeca πῶς

1) cf. Koehler, diss. pag. 72.

2) Die Elegien des S. Propertius; tom. I. Berolini 1898, p. 228.

apparet et ex versu illo Enniano, quem apud Nonium[1]) legimus, *Qui illum di deaeque magno mactassint malo*, et ex Plaut. Men. 5,5,31: *Qui te Jupiter dique omnes perduint*. Sed quid sibi vellet hoc loco enuntiatio rhetorica? Immo Nestoris fatum a Propertio non nisi ea de causa commemoratur, quod inde evideat, quantum interdum bonum sit mors immatura. Neque verisimile est paulo post versus 43 sq., qui sunt *Atque utinam primis animam me ponere cunis iussisset quaevis de tribus una soror*, alteram exclamationem a poeta esse adiectam. Itaque alio modo illam sententiam explicemus! Jam Livineius coniecit in voce *Quis* verba *Cui si* latere, quae omnes fere, qui Propertii carmina ediderunt, in textum receperunt. At tamen non plane illi viri inter se consentiunt: Lachmann quidem et Hosius vocem *tam* in O traditam retinentes *longaevae* in *longae* mutaverunt. Butler autem, qui verbum *tam* ex textu removet, lectionem *longaevae* defendit, recte, ut mihi quidem videtur. Neque enim esse, cur in *longaevae senectae* offendamus, cognoscitur ex loco Vergiliano, qui exstat in Aen. V 715, *longaevosque senes ac fessas aequore matres* et ex versu, quem composuit Martialis[2]), hoc: *Nec se miretur, Caesar, longaeva vetustas*. Propertius igitur scripsit

Cui si longaevae minuisset fata senectae.

Deinde scripturam *Cui si* in *(Cuis) Quis* depravatam esse puto. Tum, ut metrum sanaretur, ab aliquo viro *tam* additum esse mihi videtur. Ergo codicum O, non Lusatici lectio propius abest a veritate, cum una in illis, in hoc duae litterae omissae sint.

Etiam in versu II 31,5 in O meliorem lectionem inveniri existimo quam in l. Lusaticus praebet *quidem*, NFLU v *equidem* habent, in DV_1 *eadem*, quod sensu caret, nobis occurrit. Quarum lectionum nullam rectam esse, sed *quidam*, quod ex Marklandi coniectura Lachmann textui inseruit, postulari Koehler contendit. Sed nonne illud *equidem* plurimis codicibus traditum optime

---

1) Vahlen, Ennianae poesis reliquiae ed. II. Lipsiae 1903. frgm. 333.
2) cf. Mart. epigr. lib. 5,3 (ed. Friedlaender t. I p. 146).

stat? Lachmann hac voce apud Vergilium, Ovidium reliquos illius saeculi poetas idem significari quod verbis *plane* aut *profecto* negat. At tamen, cum et apud eos scriptores, qui eodem saeculo atque Propertius vixerunt, et apud recentiores vocem *equidem* alicuius dicti confirmandi causa de omnibus personis usurpatam esse videamus — cf. Cic. ad Att. 13,26: *Equidem credibile non est, quantum scribam die;* Sall. Cat. 52,16: *Vanum equidem hoc consilium est;* Pers. sat. 5,45: *Non equidem hoc dubites* — sine ulla dubitatione iudicium Hosii aliorumque, qui illam in textum receperunt, sequor sententiamque Koehleri, qui Lusatici lectionem proxime abesse a vero dicit, falsam esse existimo.

Quae cum ita sint, ne his quidem locis Lusaticum adhiberi opus est. Aliae enim lectiones, quas ille codex solus praebet, multo peiores sunt quam ceterorum, aliae, quae rectae in l traditae sunt, vix ab O differunt, ita ut ab iis quoque, qui illius libri auxilio carent, coniciendo inveniri possint. Itaque idem iudicium, quod feci de Urbinate[1]), valet in Lusaticum: Codicem l non nisi iis locis, ubi Neapolitanus deficit, adhibendum esse existimo. Is autem, qui Urbinatis lectiones inspexerit, ne illic quidem ad Lusaticum confugiet. Nam plurima, quae leguntur in l, etiam in U inveniuntur. Velut in libri IV carminis undecimi versibus septimo decimo sequentibus, qui desunt in Neapolitano, semper fere illi codices inter se consentiunt, quod apparet ex tabulis in pag. 55 sqq. propositis. Dissentit alter ab altero, si neglegimus, quae ad rem orthographicam pertinent, his paucis locis

IV 11,17.	*innoxia* l (recte?)	*non noxia* O U v
29.	*per avia* l (lectio errore librarii orta est)	*per avita* O U v (recte!)
34.	*vitta* l L D v (recte!)	*victa* F U.

De ceteris versibus, qui omissi aut mutilati sunt in Neapolitano, nihil hic dici opus est; nam cum in omnibus con-

1) cf. pag. 57/58.

spiret codex l cum U et v, ea, quae scripsi de Urbinate in pag. 57, cadunt etiam in Lusaticum, cuius auctoritatem maiorem esse quam codicum U et v equidem negaverim.

Conclusio.

Paucis, cum ad finem pervenerimus, comprehendam, quae de singulorum librorum origine docui. Primum illos tres codices ex eodem fonte, qui classi X tribuendus est, prodisse censeo. Quod autem hic illic U l v et inter se dissentiunt et a Neapolitano recedunt, et fontem et eos ipsos correctorum manus passos esse verisimile est. Hoc modo nonnullae lectiones, quae propriae sunt classis y, sive familiae (A) F L sive D V, in eorum textum irrepserunt; nonnullae ex fonte aliquo, qui nunc amissus est, sumptae, complures a librariis ipsis inventae sunt. Itaque, cum ‚commixti codices' sint et Lusaticus et Vaticanus Urbinasque, non testes sinceri memoriae Propertianae, omnes auctoritate inferiores non solum Neapolitano, qui humanistarum interpolationibus prorsus caret, sed etiam libris, qui ad classem y pertinent, (A) F L D V, putandi sunt. Neque vero ad illa exemplaria nos confugere oportet, cum, ut Hosii[1]) verbis utar, ‚nihil, quod proprii pretii videatur, praebeant singularesque eorum lectiones aut leves mutationes aut dubiae aut iam aliunde, etiamsi non nisi ex correctura codicis vel lectione varia, notae sint'.

1) cf. edit. praef. pag. X.

Argumentum dissertationis.

Vita.

Fridericus Adolphus Otto Neumann natus sum in Lusatiae inferioris vico, cui nomen est Zinnitz, Non. Jan. a. MDCCCXCII patre Ottone, matre Martha e gente Radochla, quibus valde gaudeo superstitibus. Civis Borussicus sum, fidem profiteor evangelicam. Elementis et pater, qui magistri munere fungitur, et Roggisch, divini verbi minister, me erudiverunt. Deinde ab anno MCMIII usque ad annum MCMX gymnasium regium Luccaviense frequentavi. Atque maturitatis testimonio instructus primum in universitate Friburgensi, tum Berolini studiis philologicis, historicis, philosophicis me dedidi. Vere anni MCMXI Friburgum redii, autumno autem eiusdem anni Gottingam me contuli, ubi per unum semestre versatus sum. Mense Aprili anni MCMXII nomen meum relatum est in album universitatis Gryphiensis, cuius per quattuor semestria fui civis academicus.

Docuerunt me hi viri doctissimi:

Friburgenses: W. Aly, de Below, Kieckers, Levy, Paufler, Reitzenstein, Rickert, B. Schmidt, E. Schwartz, Thurneysen, Wolf.

Berolinenses: Erdmann, Kirchner, Lasson, Morf, Mutschmann, Riehl, D. Schaefer, M. C. P. Schmidt, de Wilamowitz-Moellendorff.

Gottingenses: G. Körte, Leo †, Pohlenz, H. Schultz, Viertel †, Wendland.

Gryphienses: Haußleiter, Hosius, Koegel, Kunze, Lommatzsch, Mewaldt, Otto, Pernice, Rehmke, H. Schöne, V. Schultze, Thurau, Wiegand.

Proseminarii philologici Berolinensis per unum semestre sodalis fui moderantibus de Wilamowitz-Moellendorff, Mutschmann, Kirchner, M. C. P. Schmidt, proseminarii Friburgensis regente E. Schwartz per unum semestre, Gottingensis administrante H. Schultz per unum

semestre. Vere anni MCMXII receptus sum in inferiorem seminarii philologici Gryphiensis classem, cui tum praeerant H. Schöne et Mewaldt; sex mensibus post Hosius et Schöne benigne me assumpserunt in classem superiorem, cuius per unum annum sodalis fui. Praeterea ut per duo semestria exercitationibus archaeologicis, per unum theologicis interessem, Pernice et Haußleiter mihi concesserunt.

Omnibus, qui me docuerunt, viris doctissimis gratias ago quam maximas, praecipue Carolo Hosius et Ernesto Lommatzsch, quorum alter non modo collationes, quas ipse instruxerat, Lusatici et Vaticani benigne mihi tradidit, sed etiam in hac dissertatione componenda semper consilio me adiuvit, alter in opere perficiendo optime mihi consuluit.